
WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Fundamenta Medicinæ

SCRIPTORIBUS,

TAM INTER

ANTIQUOS quam RECENTIORES,

Præstantioribus deprompta,

Quorum Nomina Pagina sequens exhibet.

In Usum Artis Medicæ Tyronum.

Cui Subnectitur

APPENDIX,

Præscribendi Methodum in quibusdam Morbis exhibens.

LONDINI:

Prostant Venales apud *J. Wyat*, sub Rosa in Cœmeterio D. Pauli, & *Jacobum Woodward*, in Vico vulgo dicto *Scalding-Ally*. MDCCXIV.



AD
LECTOREM.



Libellus, qui hic Lectori offertur, non dubito quin gratus erit, quamvis Autor, ex peculiari ſuâ averſione rudis & imperiti Vulgi & Characteris publici, ipſi fronti nomen ſuum præfigere noluit.

Hæ enim paginæ nunquam conſcriptæ erant, ut hoc modo publicæ redderentur, ſed ſolummodo compoſitæ ad uſum & inſtructionem paucorum

quorundam privatorum Discipulorum, è quorum numero ego (quod sine arrogantiâ dixerim) unus fui: & hinc evenit, quod alios incito ad illud, quod mihi ipsi summam attulit utilitatem.

Uti Sylva maximè extensa, vel magnificum Palatium, artificioso penicillo completè & perpulchrè in minori Tabula pingi potest.

Sic maxima pars Doctrinæ & boni Sensus, arte & judicio peracta, in minimum contrahi potest compendium: ut Lector hic inveniet *necessaria cognoscenda* totius illius Artis, quæ summi est momenti ad veram hujus Vitæ fruitionem, eo modo oblata, quo brevis, intelligibilis, & facilis reddita sit.

Hisce quamvis concessis, nullo tamen modo expectari potest, quod hæc omni respectu studiosum reddent excellentem Medicum. *Certa sunt præcognita* cuilibet Arti annexa; hinc requisitum est ut Candidus Lector in antecessum instructus sit in Anatomia, eò usque ad mini-

minimum, ut noſcat ſitum, Mechaniſmum & uſum partium principalium, & Leges Circulationis & Secretionis in genere : inſuper ut bene verſatus ſit in Pharmacia, & ſciat ſub quibus principiis præparationes particulares, operationes differentes & proceſſus varii dependeant.

Sed ut hic, ſic unuſquiſque ſufficienter ſatis apprehendit, nihil ultra hic neceſſarium eſſe, quam demonſtrare Tyrones Medicos, huc uſque progreſſos, methodum facillimam & jucundiſſimam, proſequendi cætera requiſita ad omnimodam totius artis perfectionem neceſſaria.

Præteritis hunc in finem Temporibus plurima formata fuerunt Syſtemata, qualia nunc hæc nunc illa in magnâ fuerunt æſtimatione ; ſed proh Deum! non ſolum tam prolixa ſunt, ut magnum requirant temporis ſpatium & ſummos labores ea pervolvere ; ea inſuper ſcripta a tanto fuerunt tempore

ut jam vix ſint alicujus uſus, plurima enim nova inventa ſunt a recentioribus in Anatomia & vero Corporis humani Mechaniſmo, æque ac plurima experimenta in uſum venerunt quotidianum, quæ toto Cœlo differunt a veterum opinionibus, & ſummum habent influxum in Oeconomiam animalem, & ob ea, ſumma cum ratione alterant Theoriam æquè ac Praxin Medicam.

Præterea omnia illorum Syſtemata tam rigide accommodata fuerunt particularibus Philoſophiæ tunc in uſu problematibus, ut antequam aliquis utilem exinde ſibi polliceatur progreſſum, neceſſarium eſt ut ſe totum prius devoveat particulari huic problemati unde Syſtema illud, quod ante ſe habet, formatum eſt : ſi aliter agit, omnia convictionis media perdit, & nunquam intelligit quod legit.

Tales removere ſcrupulos hic ſibi pro-

promittit Autor: Ille non ſolum extorquet Medicinæ Theoriam ab ignorantia & errore particularis Sectæ Philoſophorum, ſed illam claris demonſtrationibus & convictionis Methodis firmam facit.

Quo ſolo innixus fundamento, res (meridianâ luce clariores) apparent veræ, ſic ille totam Materiam Medicam in tam breve compendium contrahendo, totum ſtudium Medicum facile reddit & jucundum.

In juniorum gratiam Morbos quosdam in fine adjecit curandos, in Appendice libelli. Invenies fortaſſis quæ allubeſcent, & vel Argumenti novitate aut uſu, Lectionis tædia diſcutient. Non alius illi in eo finis, quam prodeſſe juventuti Medicæ, & vel ejus exemplo ad praxeos excellentioris imitationem accendere.

Quam neceſſaria ſit Theoria fundamentalis ad promptum creandum Medicum, apparet ex præliminariis D.

Rich. Mead, M. D. &c. *in Tractatu suo de imperio Solis & Lunæ*, ubi (propriis ſuis rationibus præmiſſis) concludit cum *Hippocr. lib. de Priſc. Medicina.*

Ratiocinationem laudo modo ex iis quæ ſenſus comprehendunt, aut experientia oſtendunt, naſcatur: illud poſt modum illuſtrat & confirmat per comparationem, ſimillimos (dicendo) eſſe pleroſque Medicos imperatorum navium gubernatorum, *quorum dum tranquillo Mari & ſecundis Ventis trahuntur, non deprehenditur Artis inſcitia, at ſi forte gravius cœlum contraxerit Tempeſtas, conſtat mox illorum Culpâ factum eſſe Naufragium.*

AUTORES


In hoc Tractatu citati.

Baglivius.
Bidloo.
Bellinus.
Blasius.
Bartholinus.
Borellus.
Boerhaaven.
Celsus.
Cartesius.
Charleton.
Cheyne.
Cowper.
Friend.
De Graaf.
Glisson.
Diemerbroeck.
Ent.
Etmullerus.
Fernelius.
Galenus.

Har-

Harvejus.
Helmontius.
Hippocrates.
Lower.
Mayernius.
Malpighius.
Mead.
Morton.
Needham.
Paracelſus.
Pitcarnius.
Riverius.
Sanctorius.
Schneiderus.
Schroderus.
Steno.
Sennertus.
Sylvius.
Tulpius.
Veſalius.
Veſlingius.
Wharton.
Williſius.
Zypæus.

CON-



CONTENTA

Librorum & Capitum.

De



PHYSIOLOGIÆ Pars ſecunda.


Funda-

INDEX.

Fundamentorum Medicinæ, Pars Secunda; ſive HYGIEINE.

Fundamentorum Medicinæ, Pars Tertia; ſive PATHOLOGIA.

De



Fundamentorum Medicinæ Pars Quarta, sive SEMEJOTICE.

The-

THERAPEUTICA.

De

INDEX.

ERRATA.

PAG. 4. lin. 15. lege Affeclæ. p. 12. l. 12. l. minorem unde. p 27. l. 28. l. papillam. p. 28. l. 15. l, dicata. p. 33. l. 16. l. oblinioni. p. 34. l. 22. l. nunquam. p. 63. l. 22. l. sunt partes. p. 69. l. penult. l. exsangues. p. 83. l. 14. l. constitutionem. i. 31. l. fibrarum. P. 101. l. 19. l multum soporosos. p. 133. l 14. l Sporadici. p. 154. l. 26. l. ramenta. p 174. l. 5. l. illæ. p. 177. l. ult. l. juvare. p. 181. l. 20. l. qualitas. p. 202. l. 6. l. pertingit. p. 228. l. antepenult. l. diversitate morbi. Errata reliqua minoris notæ facile corriget benevolus Lector,



FUNDAMENTORUM
MEDICINÆ
PARS PRIMA,
SIVE
PHYSIOLOGIA.

CAP. I.



UID est Medicina?

Medicina est Ars præsentem Sanitatem conservandi, & amissam restituendi : vel est, Scientia eorum (ut videbis in seq :) quorum applicatione Vita & Sanitas conservantur, vel Sanitas amissa restituitur.

Unde suum habet ortum Medicina?

Ex ægritudinibus, quæ *ex injuriâ Aëris, ex naturâ alimentorum & potulentorum, ex vitæ actionibus, ex ipsâ denique fabricâ humanæ compagis mortalibus evenere.*

Quid monumenta veterum Historiarum referunt de Medicinâ?

Illa referunt Chaldæos, Babylonios Magosque primò coluisse Medicinam in hunc modum: ut præsentes morbos tollerent, & futuros averterent.

Quomodo progressa est Medicina?

Hinc in Ægyptum, ex hâc in Græciam derivata est; inter has maximè florebat in Cnido, Rhodo, atque Coörum insulâ.

Cui debentur Prima Rudimenta Medicinæ?

Prima Rudimenta Artis debentur casui fortuito, instinctui Naturali, & eventui non proviso.

In quot partes dividitur Medicina?

In Partes Quinque, in

Physiologiam.
Hugieinen.
Pathologiam.
Semejoticen.
Therapeuticam.

Cui debetur progressus Medicinæ?

Debetur memoriæ effectuum, morbi enim descripti & auxilia in tabulis delineata Templo Deorum affigebantur; exponebantur ægri in Triviis & Foro, & ratiocinio simili utebantur.

Unde major perfectio Artis nata fuit?

A constitutione Medicorum, ab annotatione exactâ Morborum, ab accuratiore observatione & applicatione Remediorum.

Quid colligis ex dictis præcedentibus?

Experientia primum fulcrum medicin est.

Antiquissimam medicinam ortam fuisse ex solâ collectione fideli experimentorum.

Ratio alterum fulcrum medicinæ est.

Postea, cogitatum de causis horum indagandis lege ratiocinii.

Priorem

Priorem partem ſemper fuiſſe eandem Neceſſitate, Uſu, Evidentiâ: poſteriorem mutabilem, & in quâlibet ferè parte aliam.

Quis eſt finis Medicinæ?

Finis ultimus Medicinæ eſt Sanitas: Et finis ſubordinatus mitigatio ſymptomatum. Sanitas, ſi ſit præſens, per medicinam conſervanda eſt, ſi amiſſa, per eandem reſtituenda eſt; horum prius Hugiene, alterum Therapeutica vocatur.

N. B. Non obeſt quod ſunt morbi incurabiles, quia illis mederi medicus non intendit, ſuntque tales extra Sphæram activitatis Medicæ; interim à medicinâ deſcribuntur, non ut in iis finem ſuum conſequatur, ſed ut tales dignoſcantur & prædici poſſint, ut honori Medici conſulatur.

Hæc quæſo adhuc diſtinctius exponas?

Finis Medicinæ eſt Evitatio dolorum, debilitatis, mortis: adeoque eſt Conſervatio ſanitatis præſentis, & Reſtitutio amiſſæ in homine. Hinc, quicquid in hâc Arte ſciendum vel agendum uni huic ſcopo inſervire debet.

Quid eſt Objectum Medicinæ?

Eſt Homo; id eſt, ejus Vita, Sanitas, morbi, horum cauſæ, quibus oriuntur: media, quibus diriguntur.

Quid porro magni Emolumenti fuit Medicinæ?

Anatomia, quâ Cadavera ſanorum, & cauſæ morborum abditæ indagatæ fuerunt, ſanitatis & morborum cauſæ evidentes magnâ induſtriâ quæſitæ ſunt: horum principium, augmentum, ſtatus & declinatio, exitus, per mutationes notata. Anatomia oſtendit corpus humanum conſtare duplici partium genere, *Solidis* videlicet & *Fluidis*.

Quid sunt Solidæ partes?

Solidæ partes sunt vasa, fluidas coërcentia, vel instrumenta Mechanica ossea & Cartilaginea. Fluidæ omnes inter illa vasa continentur, moventur & in motu determinantur.

Quid porrò?

Medicamentorum electio, præparatio, applicatio, vires, eventus observata sunt. Democritus, qui vixit tempore Hippocratis, viva secando animalia ætatem contrivit.

An diu perduravit Medicina in Statu post Hippocratem?

Minime: nam post Hippocratem in varias Sectas variis cognominibus insignitas se dividebant Medici: Sic Thessalus Thessalicus & ejus Assectæ dicebantur Methodici; *Heraclion* & qui ipsi adhærebant, Empyrici: Donec tandem Galenus, qui in omnes has sectas quam maxime invehebat, medicinam accuratius in formam reduxit.

Quamdiu permansit Galenica illa Doctrina?

Ad tempora Arabum, qui in Africâ Scholam exstruxerunt Medicam: illi tantum interpretati fuerunt doctrinam Galenicam, & sequentia secula sequacia habuerunt.

Quomodo doctrina eorum tandem emendata fuit & refutata, quo in loco, & quibus mediis?

Renovata fuit Disciplina Hippocratica in Academiis Gallicis, experimentis Chymicorum, maximè Paracelsi, deinde Helmontii & aliorum.

Quomodo Medicina hoc presenti tempore colitur?

A nuperis annis promovetur quamplurimum instructionibus Mechanicis, Physicis, Chymicis, & hodie ab omni secta libera est.

Quo-

Quotuplicia ſunt media quibus hæc Ars acquiritur?

Duplicia: Obſervatio ſcilicet: & Ratiocinatio.

Quænam eſt Obſervatio?

Obſervatio eſt rerum omnium quæ in Homine Sano, Ægroto, Moriente & Mortuo fiunt, tam ab iis quæ in eo ſunt, quam ab iis quæ arte, caſu, &c. per externa in eo producuntur.

Quænam eſt Ratiocinatio?

Ratiocinatio exacta eſt, quâ ea, quæ in homine fiunt, abſcondita ſenſibus, vel facienda ſunt, inveſtigantur, demonſtrantur: quod ut fiat, data experimenta, ſingulatim expenſa, comparanda ſunt inter ſe, notanda omnia, quæ ratione & experientiâ clarè deduci poſſunt.

Quot ſunt res Naturales in Medicina?

Res Naturales ſunt Septem: *viz.* Elementa, Temperamenta, Humores, Spiritus, Partes, Facultates, Actiones ſive Uſus.

Quot ſunt res non Naturales?

Res non Naturales ſunt Sex: *viz.* Aër, Cibus & Potus; Motus & Quies; Somnus & Vigiliæ; Excreta & Retenta; & animi Pathemata.

Quot ſunt res Contra Naturam?

Res Contra Naturam ſunt Tres: *viz.* Morbus, Morbi Cauſa, Morborum Symptomata.

Ab hiſce tribus tota Medicina dependet.



CAPUT II.

QUID *ſunt Elementa?*

Elementa ſunt Corpora ſimplicia, ex quibus omnia alia Spectabilia hujus Mundi Corpora primò componuntur, & in qua ultimò reſolvuntur.

Elementorum in Corpore Unio seu Conjunctio vocatur *Mixtio*: ut Corpus ex Elementis procedens vocatur *Mixtum*.

Sunt nobis cum modernis Philosophis Elementa tria: scil. Æther, sive Materia Subtilis seu Primum Elementum, quod habet particulas tenuissimas & subtilissimas celerrimè semper motas & agitatas, indefinitæ parvitatis, hoc est, quarum alia aliis in infinitum sunt minores: Est purior in Sole, deinde in Stellis fixis, quam in igne culinario nostro, qui ex hoc Elemento componuntur. Est in cujusvis ferè corporis Poris reperibilis, quæ illas continuò & celeriter perfluit, uti Mundum alter Oceanus, quævis Corpora, etiam vim suam exercendo, ubi satis liber non transit, ac eatenus in liquidis est causa fermentationis, de qua postea.

Materia hæc subtilis est causa Caloris & Frigoris; nam agitando quædam Corpuscula, eaque *vehementius* in fibrillas nervorum nostrorum *impellendo*, causat in nobis sensum Caloris, sicut è contra sensus Frigoris in nobis excitatur, ubi nervorum nostrorum fibi illæ moventur à *corporibus* quibusdam *minus* à materia subtili *agitatis*.

Subtilis hæc Materia triplex est, in alia enim lucet & calida est, ut in Candela. 2. alia non lucet & calida est, ut in calce aquâ irrorata, item in nostro Sanguine. 3. alia denique lucet & non ardet, ut in Succino, aliquibus Vermibus, Piscibus marinis, lignoque putrido, & aliis in obscuro lucentibus, quæ propterea *Noctiluca* dicuntur.

Secunda Species est *Secundum Elementum*, sive Globuli ætherei seu cœlestes, qui sunt particulæ aliquæ rotundæ, politæ ac exiguæ quidem, sed majores quam sunt particulæ primi Elementi, quæ

pro

pro vario ſuo in auris tympanum impulſu, auditionem in nobis faciunt.

Globuli ætherei, dum a Corpore luminante protenduntur,acin fibrillas nerviOptici impelluntur, ſuper illas ſtatim motus aliquis ad ſedem animæ propagatur, qui ſenſionem aliquam, quam *Viſionem* vocamus, in nobis excitat, eamque variam pro vario motu radiorum ſeu globulorum in lineâ juxtà ſe poſitorum, & ſecundum diverſitatem Corporis *Diaphoeni*, ſeu lumen tranſmittentis coloris, ope globulorum ad oculi fundum, indeque per nervos opticos delati, determinant animam ad hoc vel ſimile objectum coloratum videndum.

Tertium denique Elementum ſeu materia terreſtris conſtat etiam particulis minutis ſatis, ſed majoribus, quam quæ ſunt Primi & Secundi Elementi.

Ariſtoteles habet quatuor Elementa quæ ſunt, Ignis, Aër, Aqua, Terra.

Sufficit Medico quod ſciat Corpus noſtrum primitùs conſtare particulis Magnitudine & Figurâ multum diverſis, v. g. craſſis, tenuibus, gravibus, levibus, mollibus, duris, flexibilibus, rigidis, acutis, ramoſis, obtuſis, *&c.*

Chymici Sal,Sulphur & Mercurium obtrudunt, videntes ex multis corporibus illa vi ignis elici. Sed minus recte, nam Aurum, Talcum uſtum, Vitrum, *&c.* in nullum vel vix unum illorum trium reſolveris quocunque ignis gradu.

Ita Sanguis húmanus in Phlegma, Sal, Oleum, *Spiritum* & Terram reſolvi videmus,pariter fit cum Cornu Cervino ; Sal, Sulphur & Mercurium ex aliquibus corporibus vi ignis elici, non inde ſequitur, quod in illis ante fuerint prima principia,

quia fortè vi ignis ex illis ibi ſunt producta, deinde non ſunt corpora omnino ſimplicia.

CAPUT III.

QUÆDAM addam, quæ ad rem medicam faciunt, & ab Elementis ſumuntur.

Corpus noſtrum cito periret, niſi aſſumptis quotidie reſtitueretur; illa quæ ingeruntur, ſenſibus patent.

Rerum deinde uſus docebit, hanc Cibi in Corpus mutationem facilius procedere in variis eſculentorum generibus, vel in iiſdem præparatis, ante aſſumptionem.

Hinc Cereviſialia, mundata tritu, ſubacta igne, nutritioni aptant.

Condimenta, & varietatem potus docebit Hygieine. In fructibus vix ulla præparatio, præter maturationem naturâ vel arte factam, effecta omnium illarum præparationum, eſt partium ſeparatio, imminutio, miſtio, diſpoſitio propior fluiditati, craſſiorum a liquidioribus ſecretio, in nutrimentum.

CAPUT IV.

De Temperamento in Genere & de aliquibus ejus Speciebus.

QUID eſt Temperamentum in genere?

Temperamentum in genere eſt conveniens Elementorum inter ſe proportio, & in corpora ſenſibilia Contextus. Quo-

Quomodo dividitur Qualitas?

Dividitur in primam & ſecundam.

Inter Qualitates primas magis conſiderabiles numerantur hæ quatuor: Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas: ex quibus ea, quæ in Temperamento ſuam Contrariam ſuperat, Temperamentum denominat.

Quotuplex prima qualitas apud Medicos dividitur?

Duplex: alia eſt actu prima, quæ primo contactu, & immediatè nos afficit: alia eſt potentiâ prima.

Primæ ſpeciei ſunt, Calor Ignis culinaris, Frigus Aquæ:

Horum mutationes obſervari poſſunt, hæc mutata Corpus hominis faciunt: quæ reſtituendo Corpori aſſumuntur Solida ſunt vel Liquida, adeoque vel Eſculenta vel Potulenta; horum materies primævis aqua, & ſpontè nata ex terra, id Hiſtoria Sacra, Profana, & ipſa rei natura docet.

Deinde animalium ſolida & nonnulla liquida cum eſculentis terrâ natis præparantur: imo gentes quædam ſolis Vegetabilibus ſuſtentatæ fuerunt, Nebucadnezar ſolo gramine veſcebatur.

Quid inde?

Quum omnibus his miſtis vel ſeparatis, crudis vel præparatis utatur homo;

Quum eorum uſu vigeat, vivat, reficiatur Corpus hominis, quum tam vario victu *Senſiles qualitates* vix differant: liquet omnia illa Terræ, Aquæ Mariſque producta mutari poſſe in Liquida & Solida hominis.

Qualitates illas de quibus loqueris, velim ut clarius diſtinguas?

Volo: *Qualitas* potentiâ *prima* eſt, ut *Calor* in Pipere, *Frigus* in Lactucâ, &c.

Ca-

Calor actualis a parte rei eſt motus validus, celer & confuſus, (ut in Cauterio actuali) inſenſibilium particularum Corporis.

Frigus actuale a parte rei, eſt privatio motus validi, celeris & confuſi particularum Corporis.

Calor potentialis a parte rei eſt talis particularum in Corpore aliquo Diſpoſitio, ut ad motum Corpori noſtro tales acquirat vel faciat poros, ut Æther vel Materia ſubtilis vehementiùs in illis ſe moveat, & calorem excitet, ut Calor in Pipere, unde calefaciunt nos ea, quæ particulis noſtris motum celerem & confuſum inferunt.

Frigus potentiale, à parte rei, eſt talis particularum in Corpore aliquo diſpoſitio, ut ad motum Corpori tales acquirat vel faciat poros, ut æther ſeu materia ſubtilis debilius in illis moveat, Frigus excitet ut Frigus in lactucâ : unde frigefaciunt nos ea, quæ in particulis noſtris motum celerem & confuſum poſſunt reſiſtere, diminuere, vel in rectiorem mutare.

Calorem eſſe dictum motum & *Frigus* ejus privationem patet inde, quod ubicunque talis motus eſt, ibi fit Calor, & ubi abeſt, ibi fit Frigus.

Temperamentum partiale eſt quod unicuique parti eſt datum : ut Temperamentum Cerebri, Cordis, &c.

Temperamentum totale eſt, quod ex partialibus conflatum toti mixto aſcribitur : ut temperamentum totius Joannis.

Temperamentum ultimò dividitur in *innatum* & *acquiſitum* :

Temperamentum innatum eſt, quod à Natura, ſive primo ortu, cuique obtigit.

Tempe-

Temperamentum acquisitum est, quod decursu ætatis per res non naturales, vel præternaturales obtigit.

Innatum toto vitæ tempore non manet planè idem, absolutè tamen posset per æqualitatem rerum nonnaturalium; attamen illud diutius manet saltem idem moraliter, quam acquisitum, quia altius radicatum est, & si contrariorum occursu non satis debelletur, vel non cedit aut citò redit; unde in Pueris difficillimè perditur.

Residet innatum potissimùm in Sanguine & Spiritibus, quibus partes cæteræ Temperamentum suum debent.

CAPUT V.

De Oeconomia Corporis Humani.

DUM Physiologiam tractamus, non incongruum erit Oeconomiam humani Corporis ulterius describere: In fine capitis Tertii attigimus Crassiorum secretionem; quæ ut melius intelligatur, explicabimus novam illam speciem, quam induunt Cibi in ore mutati, quam mutationem Organa Oris efficiunt: Hæc maximè morsu fit & masticatione, quæ modo seq. procedit.

1. DeductioneMaxillæ inferioris â superiore, per contractionem duorum musculorum gracilium biventrium, oblongiorum, qui orti ex parte superiori processus Mastoidei & ad Stilylormes desinunt in Tendinem rotundum, qui transit Stylohyoideum & Ligamentum annulare affixum Ossi Hyoidis, hinc

hinc novo Ventre deſcendit in medium internum extremi menti (*Veſal. L. 2. T. 5. Litt. H 1.*)

2. Compreſſâ & adductâ maxillâ inferiori ad ſuperiorem per Contractionem Muſculorum,

1. Temporalium, qui orti ab oſſibus Verticis, Frontis, Temporum, & cuneiformi, valido, curto Tendine, ſe inſerunt ſupremo acuto proceſſui maxillæ inferioris (*Veſal. L. 2. T. 5. L. B.*

2. Maſſeterum, qui Triangulares, Craſſi, Curti Muſculi, orti ex oſſe jugali & maxillæ ſuperioris, ad angulum oculi minore munde ad Aurem uſque excurrunt, & Tendines affigunt maxillæ inferioris margini interiori, exteriori ab angulo uſque in medium, variis & ſe mutuò ad acutos angulos, ſecantibus fibrarum directionibus (*Veſal. L. 2. T. 5. L. D.*)

3. Cibi per dentes inciſorios pro Bolo commodo inciſi, arctantur in ore Labiis & Genis per ſuos muſculos leniter ad mandibulas compreſſis, maxime ope Sphincteris Labiorum & Buccinatoris (*veſal. L. 2. T. 4. Lit. M. N.*) tum ope Linguæ ſuis actæ muſculis (*Malpigius de Lingua*) continetur atque invertitur intra ſuperficiem latam, inæqualem, concavam, acuminatam dentium molarium, ubi detentus motu maxillæ inferioris premitur, teritur, attenuatur; ad quos effectus concurrit primò motus comprimens. Secundo motus antrorſum ope pterygoideorum externorum, qui ex parte exteriori Alæ Veſpertilionum orti, retrorſum progreſſi inſeruntur inter proceſſum condyliformem & coronam (*Vegling. Tab. Cap. XIII. Fig. 11. Lit. E. E.*) & ope variarum Fibrarum in *Temporalibus* & *Maſſeteribus*. Tertio motus retrorſum per varias Fibras Temporalium, Maſſeterum,

m, Biventrium determinato concursu agenum. Quarto motus ad latera qui fit Musculis erygoideis internis qui ex interna parte pro-essus Vespertilionis orti, valido tendine inserunr posteriori inferiori maxillæ circa angulum *esal. L. 2. T. 6. L. D*) quin liquet pro vario conrsu simul agentium variari effectus eorum. c Cibus atteritur, Linguâ inter molares deterinatur, variæ ejus partes variis tritibus expontur, & sic fit Masticatio. Hoc motu Mastitionis cibis mutationes similes (*Paragr. ultimo tat. Cap. de Elementis*) contingunt. Sed & pars oris multæ aliæ scitu necessariæ sunt.

Juxta Parotidem glandulam conglomeratam a est glandula conglobulata, unde *Saliva* in os, ctu in genis patente, circa tertium molarem periorem (*Steno observat. Anat.*) & ex maxillaris (*Wharton* C.21.) atque Sublingualibus Barthoni (*Philos. Transact.*) faucium & palati mucus & iva (*Schneider de Catarrh. Lib.* 3. *S.* 2. *C.* III. *fig.* 3. 4.) in os manat, quæ Sanis sponte semper æsto est. Dum ore continetur, saliva valde umosa, esurientibus copiosior, fluidior, acrior; junantibus valde detergens pustulas, cicatris, maculas tollens, pastæ panis mista hanc ferentat; mista succis vegetabilibus eos facit ferre & in Spiritus inflammabiles mutari; Brutis, ormientibus, & Sanis deglutitur;

Spuitione, Voluntaria nimis secreta ἀνορεξίαν, ...πεψίαν, ἀτροφίαν creat: Sanis insipida, Aquâ, le, Spiritu constat, exhalatione Chymicâ cog-scendis.

Motu Masticationis attenuatis Cibis, Saliva is fontibus expressa admiscetur, hæc liqui- arterioso orta similis est liquidis per nostra va- motis. Ergò


Ergo hæc permiſtio facit

1. Ad Similitudinem Corporis nutriendi.
2. Ad miſcibilitatem oleoſorum cum aqueis.
3. Ad ſolutionem Salinorum.
4. Ad Speciem fermentationis.
5. Ad ſaporum odorumque mutationem.
6. Ad inductionem motus inteſtini.
7. Ad refectionem momentaneam.
8. Ad ſapida applicanda quum inſipida ſit.

Tot ergo Saliva effectibus utilis, tot elaborata artificiis, malè excrementum habita, rejicitur! motu maſticationis & permiſtionis Salivæ, aër miſcetur intra maſſulas paſtæ, qui dein Elaſticitate, fluiditate, gravitate nativis, calore corporis excitatis, & variatâ omni momento preſſione varians, ſe parationem, attenuationem, fluxibilitatem, motumque inteſtinum maſticatæ maſſæ conciliat.

Voracia, Eſurientia valde Animalia minus maſticant. Maſticatione diù exercitatâ Cibi, ſæpe jam in ore Chylum referunt, & tum longè citiùs ſedatur Fames.

Hinc liquet, actionem hanc & Neceſſariam & Salutarem admodum eſſe.



CAPUT. VI.

De Temperamentis aliquarum partium & Signis Temperamentorum.

CUjus Qualitatis ſunt Corporis Partes?

Omnes Corporis partes ſecundum ſe Calidæ ſunt atque humidæ: iis ſiquidem qualitatibus vivitur;

ur; ad ſeſe invicem vero comparatæ tam diverſæ ſunt, ut meritò aliquæ ex ipſis calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccæ dicuntur.

Secundum hoc Calidæ habentur Cor, Sanguis, Spiritus, Arteriæ, *Venæ*, Pulmones, Lien, Hepar, &c. Calidiſſimæ qualitatis omnium Cor eſt. Calidiſſimæ non ſunt Spiritus; licet enim celerimè moveatur, vehementer tamen & cum aliqua craſſitie, ut ad calorem requiritur, non movetur, alias nervi eſſent ex calidiſſimis.

Partes frigidæ ſunt: Os, Cartilago, Tendo, Membrana, Ligamentum, Spinalis Medulla, &c.

Pro Sexus & Ætatis diverſitate etiam diverſum eſt Temperamentum.

Quid eſt Sexus?

Eſt Modus, ortus ex diversâ partium genitalium Conformatione & Temperie.

Quotuplex eſt Sexus?

Duplex: Maſculinus & Fœmininus.

Quis eſt Calidior?

Prior calidior eſt Poſteriore. Fateor interim Viragines quaſdem eſſe maribus calidiores, & habere omnia jam maribus aſſignata.

Quid eſt Ætas?

Ætas eſt partiale tempus vitæ humanæ, à quo notabilis obſervatur mutatio.

Cauſa ætatum eſt diverſa proportio Caloris nativi, ab illo tempore vitæ ob res naturales vel præter naturam. Unde ætates non in omnibus dictis annorum terminis circumſcribuntur, ſed aliis citius, aliis tardius contingunt, aliique aliis citius ſeneſcunt.

Quomodo dividitur Ætas?

In octo partes. 1. *Infantia* ad tertium annum extenditur. 2. *Pueritia* ad decimum annum. 3.

Pu-

Pubertas ad decimum octavum. 4. *Adolescentia* ad annum vigesimum quintum. 5. *Juventus* ad trigesimum quintum. 6. *Virilitas* ad annum quinquagesimum. 7. *Senectus* ad sexagesimum quintum. 8. *Decrepita Senectus*, quæ reliquum vitæ Tempus comprehendit.

Quomodo præservatur Senectus?

Cibus enchymis & enpeptis, Vino generoso vel ejus Spiritu, quæ calorem languentem roborant & serositates absumunt.



CAPUT VII.

De Calore naturali & Calido innato, &c.

TEmperamentis finitis non incongruè aliqua de calore nostro naturali, &c. annectam, ad cujus variationem multum etiam temperamentum variari, jam videbimus.

Quid est Calor noster Naturalis?

Calor noster naturalis à parte rei nihil aliud est, quam materiæ subtilis, seu igniculi cujusdam non lucidi (qualis in calce vivâ, aquâ irrorata, diversis fermentationibus chymicorum, fimo Equino, & herbis in cumulo putrescentibus reperitur: calidi tamen, & ab igne nostro culinario solo gradu differentis, (& tenuium aliquorum sanguinis fragmenta ipsi innatantium) motus celer & confusus.

Unde oritur ille motus?

Oritur ille motus ex eo, quod materia subtilis se in sanguinem insinuans, ob præpeditos ejus poros, non satis liberè motum suum per illum

Con-

continuet, ideoque in particulas Sanguinis vim ſuam debet exercere, eaſque confuſè agitare; unde cum eaſdem habet cauſas cum Fermentatione, ut jam ſtatim intelligetur, atque varias Fermentationes cum Calore peragi videmus, meritò Calorem noſtrum in illâ conſtituendum arbitror.

Quid eſt Fermentatio?

Fermentatio eſt motus inteſtinus inter partes heterogeneas alicujus Corporis, quo illud quodammodo aëreſcit & accenditur.

Quomodo Fermentatio efficitur?

Fermentatio efficitur per hoc, quod materia ſubtilis, tranſiens per corpora quædam humida & fluida, occurrat & impingat in particulas quaſdam rigidas, minuſque flexiles illis innatantes; quædam ſe poris accommodare nequeunt, confuſionem pariunt, ſic, ut tum materia ſubtilis majore copiâ in poros replendos ſe inſinuare debeat, atque ita dicta corpora rareſaciat ac extollat.

Rem amplius illuſtra?

Eo modo, quo, in loco aliquo plures homines ad ſeſe invicem quieſcentes, quam confusè inter ſe motos, collocare poſſumus:

Paſſim hoc videre eſt in corporibus Humidis, ſeu quæ habent particulas aliquas aliquando cum adjunctis aliis, leniter inter ſeſe motas.

Sed quid accidit è contrario?

Si celeriùs & confuſius eæ inter ſe moventur particulæ, eò amplius ſpatium requirunt: hoc videmus in *Vino*, quod totâ *hyeme* (vulgariter loquendo) quievit, aut ſaltem particulas minus motas habuit; in *Vere*, ubi radii Solares magis ad nos pertingunt, adeoque materia ſubtilis majorem init

motum, (namque vinum ſuis particulis rigidis, ut Tartareis, aliiſque non caret) dolium quo continetur, niſi ſpiraculum habeat, diffringet, itaque non omnis liquoris rarefactio eſt propriè Fermentatio, ſed ea tantum, quæ ab inteſtino fit principio, ſeu partium heterogeneitate, ac pororum difformitate, ob quas materia ſubtilis ad tranſitum ſuũm cogitur vehementius inſurgere, conſequenter non eſt Fermentatio in aqua, aut liquore alio, magis homogeneo, ſuper ignem rareſcente, namque talis ſolum, ebullit à copiâ materiæ ſubtilis, ipſi extrinſecus impulsâ, & non ita a cauſa ipſi internâ.

Quomodo dividitur Calor innatus?

In inſitum & influentem: prior eſt ab exordio vitæ, poſterior eſt qui priorem ducit in actum.

Nota, Calorem innatum diſtinguunt multi in inſitum & influentem, quaſi Calor aliquis ab initio vitæ ſingulis partibus inplantaretur, qui toto vitæ tempore perſeveraret.

Verum ex jam dictis patet, omnem Calorem eſſe a Sanguine, adeoque influentem omnino fugacem & variabilem: præſertim cum ipſi illi Diſtinctores dicant & fateantur, innatum Calorem nihil ex ſe poſſe, ſed in actum debere deduci ab influente, ideoque nullus ejus ſeorſim ſpectetur effectus.

Unde perpetuatur Calor nativus?

A materia ſubtili, qui ex alimentis, chylo & Sanguine continuò ad Cor vehitur: Sedes igitur Caloris nativi eſt Cor.

Nonne augetur ille Calor?

Augetur ad Virilitatem uſque, quia quò magis ad illam accedimus, eò magis a vapido excremento ille ſe vindicat, reſpirando melius flabel-

latur

latur motu corporis majore, aliâque quam in foetu circulatione magis accenditur.

Nota: quod in Fœtu tota maſſa ſanguinis ſingulâ circulatione utrumque cordis ventriculum non pertranſit, nec in utroque fermentatur, ſed capit vias ſpeciales. *Vid. Lower de Corde.*

Quando primum inſtans Caloris in nobis eſt?

Quando anima noſtra corpori noſtro, ſufficienter organiſato infunditur; quod præcisè determinari non poteſt, tunc enim propriè nos ſumus; ſed ſi de futurâ noſtrâ materiâ intelligatur, tunc nobis eſt ſenior.

Quid eſt Calidum nativum?

Eſt Subſtantia corporis noſtri pinguis & oleoſa, Caloris nativi ſubjectum. Idem dicitur humidum radicale, & humidum primogenium.

Quid eſt Natura?

Natura eſt motus Sanguinis & Spirituum legitimus, cum debitâ partium Conformatione quoad Poros, quoad Fibras contractorias, majores meatus, &c. Sola enim illa ſunt, quæ mala ex corpore expellunt, bona retinent, aliqua deficientia adjiciunt, & in corpore exercent ea quæ naturæ adſcribuntur.

CAP. VIII.

De Humoribus.

QUid eſt Humor?

Humor eſt *Subſtantia liquida, palpabilis,* in *Corpore noſtro,* ex cibo & potu *ſecundum Naturam progenita.*

Quare dicitur Liquida?

Ut excludantur Fæces, & partes Solidæ.

Quare Palpabilis?

Ut excludantur Spiritus, qui etiam eſt Subſtantia liquida, ſed ob ſummam ſuam Volatilitatem impalpabilis.

Quare in Corpore noſtro progenita?

Ut excludatur Juſculum recenter aſſumptum.

Quare ſecundum Naturam?

Ut intelligatur nos hic non agere de humore præter Naturam.

Quid eſt Chylus?

Eſt maſſa quædam liquida, ex cibo vel potu in Ventriculo genita.

Quomodo expellitur Chylus è Ventriculo?

Expellitur Chylus è Ventriculo partim muſculis abdomen coarctantibus, partim impulſu hepatis, partim denique motu Periſtaltico, ſeu vermiculari Ventriculi fibrarum annularium, ſucceſſivâ, ab orificio ſuperiori ad inferius, contractione, quâ Ventriculus conformiter ſucceſſivè fit auguſtior, & Chylus ad pylorum & inteſtina promovetur, ulteriùs perficiendus.

Quomodo fit Chylus?

Ante, cum, & poſt cibum potumque ingeſtum. Saliva Oris perpetuò deglutitur, Liquor œſophagi continuò ſtillat, Lympha ſtomachi & reliquiæ ciborum præcedentium cibis deglutitis commiſcentur, unde ope Caloris humani ſimul dilui, macerari, tumeſcere, moveri, attenuari, fere diſſolvi, & meatibus corporis per quos fluent aptati reddi poſſunt.

Quid facit Chylus jam delapſus è Ventriculo in inteſtina?

Ibidem ulteriùs elaboratur, tam à fermento ſto-

ſtomachali, quod ſecum defert ex Ventriculo, quam à bile & ſucco Pancreatico, qui liquores in inteſtino duodeno congredientes, & cum Chylo commixti ſimul fermentantur, ac una cum ipſis Chylus, cujus particulas amplius diffringunt, atteruntque, donec comminutus ſatis, commigrat in vaſa lactea.

Quæ ſunt vaſa Lactea?

Sunt Vaſcula quædam ſui generis innumera, admodum tenuia, &, niſi Chylo turgida, oculum effugientia, quæ ex omni Inteſtinorum tenuium parte egrediuntur, & per Meſenterium undique glandulam magnam ſeu centralem ineunt, in inteſtinis craſſis vero pauca obſervantur.

Nota. Vaſa hæc Lactea vocantur vaſa ſui generis, vel potius *vaſa primi generis.* Reſpectu Vaſorum inde congregatorum in truncos craſſiores ſive pauciores, qui conficiunt cyſternam, ſeu ampliorem glandulam, ductus Thoracici partem incipientem, hæc ſunt *Vaſa Secundi Generis.*

Quomodo vaſa Lactea in inteſtinis poſita ſunt?

Eodem planè modo ut Uretheres inſeruntur Veſicæ Urinariæ; id eſt, Vaſa Lactea non apertis oſculis hiant in inteſtinorum cavitate, ſed obliquè inter eorum tunicas ſunt poſita, eodem modo ut Uretheres Veſicæ, &c. ideoque aërem ex inflatis inteſtinis non admittunt vaſa lactea, ut fit in Uretheribus veſicæ inplantatis.

Quid porro fit de Chylo in inteſtinis hoſpitante?

In omnibus inteſtinis Chyli Cremor ſeu pars ejus delicatior, fœculentiore magis intro retenta, ab illorum centro ad latera, ſeu ſuperficiem interiorem, emergit, & in vaſa lactea abſumitur, idque, quo fiat commodius, motu Periſtaltico inteſtinorum lentè ab illorum initio aduſque finem, ju-

vantibus ad hoc inteſtinorum valvulis, protruditur, & vaſis lacteis abſorbendis affertur.

Quomodo intrat Chylus vaſa Lactea?

Non intrat Chylus vaſa Lactea motu Periſtaltico, eo modo, quo multis viſum eſt: nam ille fit fibrarum Tranſverſarum inteſtinorum Contractione, quâ conſequenter ſubjecta vaſa anguſtantur.

Sed quo modo?

Preſſione Abdominis & deſcenſu Diaphragmatis, inteſtinorum latera, ad Chylum, quem continent, accedunt, aliqua Chyli pars in ſpongioſam inteſtinorum tunicam, & inde in vaſa Lactea imbibitur (ſaltem ſi tunc ſuperpoſita fibra non contrahatur, nam tunc nihil intraret, quamvis poſtea contrahi poſſit, nam motus periſtalticus fit ſucceſſivè contractione fibrarum) & motu periſtaltico ſuper illam ſequente, partim ſurſum premitur, partim interim in inteſtina delabitur. Unde ille motus potius fit ad Chylum jam in lactea admiſſum, promovendum, quam ad illum ſuſcipiendum.

Nobiliore Chyli parte ſic ſeparatâ, quid evenit à craſſioribus Chyli partibus?

Ex illis fiunt fæces, quæ quamvis in omnibus fiunt inteſtinis, fiunt tamen maximè in Colo & Recto (ut fit in omnibus aliqua nobilioris ab ignobiliore Separatio) nam antequam Chylus eò devenit, jam optima ejus pars fermè emuncta eſt, Fœceſque foras excernuntur.

Quid jam evenit de Chylo vaſis lacteis ſuſcepto?

Defertur ad glandulam magnam meſenterii, verſus quam omnia vaſa lactea, tanquam ad centrum Meſenterii, decurrunt, ac per illa anfractuosè tranſcolatur, forte ut eò tardius per

lactea

lactea moveatur, ejusque summa quantitas celeriore motu per ductum thoracicum, quam per lactea, compensetur, si (ut aliqui asserunt) ductus thoracicus excipiendo Chylo per tot vasa lactea simul deportato, non sufficeret.

Quali motu progreditur Chylus ad receptaculum commune?

Progreditur Chylus per vasa lactea Mesenterica, sicut & per ejus glandulam magnam, atque ad cysternam, seu receptaculum Chyli commune, partim motu ipsi impresso ab intestinorum fibris peristalticè contractis, partim continua novi Chyli successione, quâ sursum urgetur. Multum ad hoc juvantibus lacteorum valvulis ejus regressum inhibentibus, & innatâ eorum ad Constrictionem propensione dictam cysternam subintrat.

Ubi sita est Cysterna sive Receptaculum Chyli?

Sita est Cysterna inter tendines Diaphragmatis, quo illi loco Spinæ dorsi annectuntur, recipitque ab omnibus partibus inferioribus & abdomine contentis, vasa Lymphatica, ut eorum Lymphâ Chylus diluatur, quò tantò facilius percurrat ductum Thoracicum.

Quid ultra in suo itinere accidit Chylo?

Quoniam Chylus, solis causis pro motu ejus per vasa lactea jam assignatis, admodum difficulter totum iter ab intestinis ad venam axillarem internam, cui ductus thoracicus inseritur, conficeret, atque facilè coagulationem iniret, medio itinere novam recipit a Diaphragmate agitationem, singulis inspirationibus, suis tendinibus, cysternam concutiente.

Quò ducitur Chylus ex ductu Thoracico?

Ducitur rectò ad Venam ſubclaviam, *Ex ductu Thoracico*, cui præfatus ductus, pluribus aliquando oſculis, aliquando unico ſed ampliore inſeritur, Sanguini in illâ ad cavam & cor refluo, commiſcendus. In hunc ductum omnis Lympha totius thoracis influit. *(Vid. Aſell. & Wharton de Lact. Pecquet de duct. Thoracic. Lower in L. de Corde cap.* V.)

An totus Chylus Sanguini aſſociatus etiam in Sanguinem convertitur?

Chylus Sanguini aſſociatus non ſemper totus & ſtatim in Sanguinem convertitur, nam ut plurimùm talis eſt pars ejus maxima, ut natura ejus nimis multum à Sanguine diſcrepet, quam ut tam citò in illum mutetur, & non aliquoties cum Sanguine prius circuletur.

Quomodo hæc probas?

Experientia idem confirmat, nam hominum & aliorúm animalium Sanguini, quinque vel ſex horis à larga alimentorum aſſumptione per Venæ ſectionem educto, & coagulato ſupernatat Lacteus quidam humor, vix alteri, qui eſt in ductu Thoracico, diſſimilis, qui nequit eſſe aliud, quam Chylus, qui certo tempore à paſtu, Sanguini innatat, ſed nimis diu poſt illum, jam ruber factus diſparet.

CAPUT IX.

De Humoribus Excrementitiis in genere.

QUID *eſt Humor Excrementitius?*

Humor Excrementitius eſt humor, qui

ſuâ

ſuâ naturâ ineptus eſt,ut in Subſtantiam noſtram, in qua gignitur, convertatur.

Quomodo dividitur?

In Naturalem, & Præternaturalem.

Quis eſt Naturalis?

Qui non habet qualitatem nobis inimicam.

Quis eſt Præter naturalis?

Humor Præternaturalis ſpectat ad Patholog. ideoque inea tractatur.

Quomodo porro dividitur Humor excrementitius naturalis?

In Utilem, & Inutilem.

Qui eſt natura Utilis?

Humor excrementitius naturalis utilis eſt, qui per ſe utilitatem aliquam præſtat in nobis, in quibus gignitur. Ut Lac, Semen, Sanguis Menſtruus, Sanguis Maternus, Bilis flava, Melancholia, Serum Sanguinis, Humor Pericardii, Humor acidus ſeu digeſtivus ventriculi, Saliva, Succus pancreaticus, Lympha, & Mucus Inteſtinalis.

Quid eſt humor naturalis inutilis?

Humor excrementitius naturalis Inutilis eſt, qui nullam per ſe præſtat utilitatem in nobis in quibus gignitur. Ut Urina, Sudor, Lachrymæ, Mucus narium, Sanguis puerperæ, Aquæ Parturitionis, Sanguis Hæmorrhoidalis, Aurium Sordes.

CAPUT X.

De Lacte.

Q*UID eſt Lac?*

Lac eſt portio Chyli, per glandulas Mammarias

marias in tubulos lacteos ſequeſtrata ad prolis nutritionem.

Quid ſunt Tubuli Lactei?

Sunt vaſa mammis propria, quæ ex innumeris earum glandulis egrediuntur, ac in papillllis, pluribus foraminibus terminantur.

Quæ eſt Materia Lactis?

Materia Lactis eſt Chylus, non autem Sanguis.

Quomodo hoc probas?

Aſſumptum à nutrice Purgans, ſtatim cum Lacte miſcetur & infantem purgat, immo ſubinde purgat ſolum infantem & non nutricem. Crocus, Vinum aduſtum & alia aſſumpta ſuum ſaporem & odorem intra Semihoræ ſpatium communicant.

Præterea ſenſit confeſtimNutrix ab hauſtu largo aliquid cum ſenſu quaſi frigoris & tenſionis in mammas deſcendere, quæ non fierent ſi Materia Lactis eſſet Sanguis.

Quænam eſt via Chyli ad mammas?

Eſt ductus Thoracicus à quo Ramuli quidam circa claviculas verſus ſternum & mammas reflectuntur.

Quomodo hoc probas?

Quia in caniculis lactantibus rami lactei ex cyſterna & ductu Thoracico diſtribuuntur.

Quod ingenioſè demonſtat Clariſſ. *Bilſius* in ſuis Secretis.

Sunt ne hæ viæ in hominibus hactenus detectæ?

Nondum: Cogitamus tamen viam Lactis ad mammas eſſe arterias & Chylum, qui materia Lactis eſt, & venire ad mammas cum ſanguine.

An

An Gravidæ habent Lac?

Habent, præcipuè ultimis diebus ante partum, non quia tunc Sanguis menſtruus vel maternus ſuperfluus ab utero per vaſa Epigaſtrica ad mammaria regurgitat; ſed quia in Gravidis, fœtu grandeſcente, utero mirabiliter expauſo & incraſſato, vaſa ſanguifera infimi ventris premuntur, & ſic ſanguis ſurſum regurgitat: idemque copiâ & calore ſuo magis reſerat poros glandularum mammariarum, facitque ut tubuli lactei magis expanduntur, nec permanet ita.

Quid ſit præterea in Gravidis reſpectu Lactis?

Chyli receptacula in illis plus premuntur, atque Chylus magis ſurſum pulſus, mammarum glandulas, viaſque ad illas, & tubulos lacteos aperit magis.

Quare fluit Lac poſt partum largius?

Quia poſt partum Uterus non tam cito ſuam arctitudinem recuperat, & Chylus pro nutritione fœtus ad uterum duci ſolitus, jam viarum conſtrictione ſurſum regurgitat, ſugitque infans, qui quantum ad lactis productionem poſſit, non mirabitur, qui illum, ſolâ continuatâ ſuctione ad mammas Virginis, lac in eadem provocâſſe, obſervaverint ut ex Hiſtoriis Medicis Legitur.

Quando Lac deſinit?

Quando infans ſugere deſinit, & tubuli lactei, qui ante, motu Chyli verſus palpillam, tenebantur aperti, collabuntur, deinde glandularum canales fiunt anguſtiores, ſic ut antea Chyli quantitas per ſua organa tranſcribranda non eſt, ob motum liberiorem qui tempore ſuctionis infantis habebatur, jam verſus papillam impeditum, quo materia de novo adveniens, quæ liberè in glandu-

larum


larum vaſcula inſinuare non poteſt, circulari ſanguine ad Cor deduci cogitur.

Quomodo præterea deſinit Lac fluere per mammas?

Quando Nutrix de novo imprægnatur.

Quomodo hoc fit?

Chylus pro fœtu ad uterum, jam ſanguine molliorem & poroſiorem propter minorem preſſionem, incipit reverti, & à mammis abſtrahi, donec iterum ad finem graviditatis magis diſtentus chyli vaſa ſatis pemit. Mater tunc commodè infanti lac ſubtrahit, aut infans ipſe ſua ſponte, eo quod lac ipſi ob rem alienam commixtam non ſapiat, ab illo abſtinet.



CAPUT XI.

De Semine.

QUID *præmittendum eſt antequàm de Semine agamus?*

Obſervandum eſt in ambitu, alia eſſe Organa Mari, alia Fœminæ, generationi dica.

Sed annon præſtat de iis loqui alio loco?

Imo, præſtaret ea differre donec ex profeſſo de *Generatione* agamus.

Quid igitur eſt Semen?

Semen eſt humor albicans, ſpiritu turgens, in Teſtibus & Paraſtatis genitus, in vaſis deferentibus & vaſiculis Seminalibus ulterius ad Generationem elaborandus.

An Semen generatur ex Chylo, vel Sanguine, vel utroque?

Semen eſt nobilior pars Chyli.

Quæſo

Quæso demonstra hoc?

Demonstrabo; Materia ex qua Chylus cum Sanguine utrinque ex aortæ trunco, recto ductu per arterias ad testes, ibidemque per minimas Glandulas, Microscopio spectabiles, in tubulosam testium Substantiam defertur.

Quomodo hoc confirmatur?

Ex artificiosa Arterarium in Testibus divisione & dispersione.

Quid hinc colligis?

Ex illarum rectitudine, cum Venarum correspondentium contortione & multitudine Valvularum sequitur, ut Chylus cum Sanguine *celerius ad Testes, quam ab illis moveatur*, & sic nobilior Chyli pars pro Semine in tubulosam Testium substantiam, ex connexis ipsi ubique Glandulis & Arteriolis promptiùs transudet.

Quid est tubulosa Testium substantia?

Est nihil aliud, quam Vasorum Spermaticorum congeries, varios in gyros, anfractus, aliosque circuitus reflexorum, ad quorum formam faciunt multum eorum involucra, quibus undique obvolvuntur, ablatis enim involucris unius, & testiculo in aquam imposito, eâque motâ, vascula illa ultra viginti ulnas longiora invenies: per illorum involucra plures Nervi circulariter ambiunt, qui multum spirituum influxu Sanguinem versus inferiora urgendo, & successivè cavitates vasorum angustando, Chyli transcribrationi juvant, & Sanguis in Semen facessere ineptus per venas, & per vasa Lymphatica, quæ cum vasis Sanguineis ligantur, & Humor aquosior Spiritu volatili impraegnatus, quem Chylus pro faciliore in viis transcribratione comitem habuit, ad Cor deducuntur.

Qui-

Quidam volunt Seminis Materiam esse succum Nervosum seu stillam Cerebri: Hanccine opinionem probas?

Neutiquam; non obstantibus pluribus Nervis in Testibus repertis: nec valet eorum argumentatio, quod insignis Sanguinis portionis ablatio non tam debilitat, quam tantillæ Seminis: nec quod à Coitu caput doleat; nec quod libidinosi destillationibus à cerebro ad spinalem medullam sint obnoxii, nec denique eò quod Testes intus albi sint, non rubri.

Quomodo ad omnia hæc respondebis?

Ad primum respondeo: vel illum succum Nervosum esse spiritum animalem condensatum, vel alium humorem; verum naturæ Spiritus, qui particulas habet celerrime à sese invicem volitantes, in humorem seminalem condensari repugnat. Nequit enim ille succus nervosus esse humor alius, quia invisibiles nervorum Poros obturaret.

Quid ad secundum respondes?

Ad secundum dico, hoc ad sensum factum esse, maximè vero ad Spirituum copiam, quæ Semini inesse debet, & sine quo Chylus per innumeros istos, & angustissimos Tubulos, qui in Teste sunt, non transiret, neque mutaretur in Semen prolificum, quod vario Spirituum, & illius particularum motu, ac in sese propulsione, debet fieri.

Quid ad tertium, quartum & quintum dicis?

Dico, quod sufficienter intelligatur hoc fieri solâ deperditione spirituum animalium: inanitis enim testibus proportionate Nervi saltem ipsis viciniores inaniuntur, & tunc ob majorem motus versus illos facilitatem Spiritus influunt abundantiùs in illos, quam in alios, & sic ab aliis partibus, imo ab ipso cerebro furantur, unde fit, quod fibrillæ ejus molestè & dolorificè collabantur, & quod factum

factum frigidius vapores ſuos condenſet & ad ſpinam exprimat:

Ad ſextum quid dicis?

Dico, omnes partes, ipſis etiam fatentibus adverſariis, immo ipſos teſtes nutriri Chylo, cum omnes aliquatenus albicent.

Sed Solutioni primæ objectionis poteſt reobjici, fibrillas Nervorum, ne quidem à ſucco ſuo nutritio Nervoſo, tamen craſſiore, obſtrui: Quid ad hoc reſpondes?

Succum illum nutritium non ex cerebro, ſed ex Arteriis tranſudare, nec tam fibrillarum Poros ſecundum latitudinem, quam ſecundum longitudinem infarcire, & ſic Spirituum viam non habere, neque illam occludere, ideoque eſt, quod fibrillæ Nervorum tantum creſcant in longitudinem.

Quid dices iis qui aſſerunt materiam ſeminis eſſe partem Sanguinis, & ideo qui effræno coitu partes ſpermaticas ſibi nimis inaniunt, debilitantque Sanguini, ita viam ſternunt ad teſtes (quamvis ad hoc multum facit rectior deſcenſus arteriarum ex [aortæ trunco ad teſtes, quam ad lumbos) ut à lumbis illum derivando In tabem incidant dorſalem, *ejaculentur Sanguinem loco ſeminis, & licet ſint dobiliores, moderatioribus tamen ſint, ad congreſſum paratiores], ſed ſemine minus efficace, quod ſanguinolenti ſint ſemine ditiores?*

Dicam, quod Materia ſeminis eſt pars Chyli elaboratiſſima & ſpirituoſa, multum ſale volatili imbuta, quâ omnia rerum Phœnomena & ex ſemine accidentia ritè explicare poſſumus, quæ nullis Argumentis redargui poſſunt: unde Chylus qui majore copia, Sanguini præ cæteris (excepto Sanguinis ſero) Humoribus ineſt, tanquam

quam materia ad veram refectionem, nutritionem, accretionem (licet quod omnis ferè Humor, ut alibi dictum est, prout huic vel illi parti ob conformitatem cum ejus poris adhærescens, potest dici nutritius) sanguinis Generationem, Spirituum, *&c.* productionem sit maxime necessaria.

Cur incipit Semen generari à Pubertate?

Quia tunc major Calor testium glandularum, vasculorum & arteriarum Poros magis aperit, Sanguinem melius per illos pellit, & Nervi ad Spiritum advehendum ob consumptiorem humiditatem sunt expeditiores, nam ante illud tempus Sanguis magis impenditur Corporis accretioni, deinde calor & pulsus sunt debiliores, quam ut Sanguis per anfractuosos ductus, & tunc minus patentes circularetur.

Quid ex dictis colligitur?

Quod senibus & decrepitis, deficiente calore naturali, vasisque spermaticis præ siccitate à calore prævio angustatis & sanguine laudabili destitutis, deficiat Semen.

An Semen alium habet diversis locis colorem?

Imo habet, in tubulis testium magis cineretium est Semen, albius vero in capite Epydidimidis.

Describe mihi viam Seminis, & Excretionis modum.

Semen factum in Testibus & Parastatis per vasa deferentia tortuoso & exiguo valde ductu fertur ad vesiculas seminales, in quibus asservatur, ut ulterius elaboretur, donec per animi pathemata aut titillationem sparsi per illarum parietes Nervi, & Fibræ copiosius inflatæ, Semen, quod tunc etiam Spiritu magis turget, exprimant in urethram per oculos, seu foramina capitis Galli Gallinacei ut vocant, seu glandulæ cujusdam obturantis in concursu suo vesiculas seminales. Excernitur

nitur tamen aliquando Semen, ſicut & Urina, per hoc, quod Fibræ firmantes obſtaculum contra Seminis & Urinæ exitum non ſatis inflentur Spiritibus, quæ tum laxiores factæ meatus excretorios non ſatis occludunt, quod ſubinde contingit in graviter rem quandam metuentibus.

Quænam eſt Officina Seminis & unde titillantur Eunuchi?

Officina Seminis Teſtes ſunt, ideoque Eunuchi Semen non habent; titillantur tamen, ſed ab Humore quodam lento & tepidulo, ex proſtratis in Urethram multis tubulis extillante, qui Humor non eſt verum Semen, nam affectis illis glandulis in Gonorrhæa, diu & ſine debilitatione poteſt excerni, inſerviens ſcilicet merè oblivioni urethræ contra Urinæ acrimoniam.

An poſſunt Caſtrati generare?

Poſſunt Caſtrati pro uno aliove congreſſu in Veſiculis Seminalibus habere Semen, imo Mulierem imprægnare, ut quandoque de Bovibus narratur, quod Vaccam ingravidaverint; nam certè ad generationem, quæ fit per Ovorum in Mulierem fœcundationem, non requiritur tam Seminis copia, quam Spirituoſitas.

An robur adfert Corpori virile Semen?

Adfert, quatenus pro parte Spiritus genitalis ex illo Venas intrat, partibuſque diſtribuitur: Item quatenus illo in locis ſuis exiſtente, non debet de novo tot Spirituum animalium & vitalium ad Teſtes, earum Nervos, aliaque Seminis receptacula affluere, cum eatenus viæ plenæ ſint, & ſic Spiritus non ita à corde, cerebro, & reliquis partibus divertantur.

An habent illi qui à Venere abstinent aliis majorem Seminis copiam?

Minimè; nam qui Veneri non indulgent & castè vivunt, illis non ita multum Seminis generatur, quia paulatim angustantur viæ, & Materia Seminis velut pedem retroferens, in lumborum aliarumque Partium, quas impinguat, Nutrimentum cedit.

An habent Mulieres Semen prolificum, & quâ in re consistit?

Mulieres habent Semen Prolificum, si per illud Ova intelligas, quorum ipsarum pleni sunt testiculi, & quæ ab aurâ seminali virili fœcundata & expansa, ab alveolis suis seu calicibus, quibus magna parte continentur, erumpunt: Ut in tubas Fallopianas, exinde in Cavitatem Uteri deferantur.

An ille Humor, quem Mulieres in Coitu emittunt, est verum Semen?

Non est, quia ille Humor foras circa Clytoridem, & Vulvæ Orificium ejicitur, raro in vulvam, unquam in uterum. Patet hoc idem in gravidis, quibus Uteri osculum arctissimè semper clauditur, & flavescente Mucagine semper præmunitur. Nec potest dici ad fundum resumi, quia Natura sic suâ luderetur Operâ.

Deinde multæ Fœminæ concipiunt, Humorem tamen illum (ut ipsæ fatentur) non emittunt. Seminis præterea raro ille Humor habet consistentiam, neque Spirituosus est, quia Meretrices sæpius in die se polluentes illius excretione non debilitantur, neque Seminis elaborationem habet, cum in illius Organis non generetur, sed in nudis glandulis.

Quæ

Quâ viâ emittitur ille Humor in Fœminis?

Emittunt illum Humorem Uteri lacunæ, ſeu quidam ductus à proſtatis muliebribus, atque aliis uteri glandulis, numeroſis oſculis hiantes in Vaginam, idque per titillationem, & ſequentem Fibrarum uteri conſtrictionem, quæ in Coitu contingit.

An igitur ille Humor eſt alicujus uſus in Mulieribus?

Eſt ille Humor utilis, quia Vaginam continuò humectat, fortè etiam facit, ut feliciùs Spiritus ſeu aura Seminalis virilis ex uteri Vaginâ ad illius cavitatem, & inde ad ovaria elevetur, ad Ovi fœcundationem.

CAPUT XII.

De Sanguine Menſtruo.

QUid eſt Sanguis Menſtruus?

Sanguis Menſtruus eſt Sanguis, qui ſingulis præterpropter menſibus per uterum expurgari ſolet.

Quare dicis præterpropter?

Propter animi pathemata tempore diverſo occurrentia, propter aſſumpta, plùs vel minùs ſale volatili Scatentia, & Temperamenta diverſa, uni citius, alteri ſerius accidit ille fluxus: Intellige ex his calidiores quidem citiùs ſed pauciùs, minuſque diù expurgari quam frigidas.

Per quas vias fluunt Menstrua & quid est Uterus?

Menstrua fluunt per Uterum, tanquam per Organum ad illud (ut cæteræ partes ad actiones suas peragendas ab *Authore Natura* sunt destinatæ) præcipuè cum speciali & Arteriarum Uterinarum configuratione & situ ordinatum, quæ venarum inosculationibus carent, ratione cujus Sanguinem in eas, ut ad Cor refluat, infundere nequeunt. Unde *Uterus est pars quædam Membranacea in Hypogastrio inter Intestinum rectum & vesicam collocata, & collo suo ad pudoris sinum protensa*, inter cujus integumenta sunt plura vasa sanguinea, ab Hypogastricis orta, osculis suis in interiorem ejus Cavitatem & Vaginæ hiantia, dispergunter, quæ singulis ferè Mensibus intestino Sanguinis motu, Menstruorum fluxui plurimùm operire solent.

Quænam est Causa Menstruorum? An Fermentum Uteri? Si sit, ubi generatur?

Causa Menstruorum est quoddam uteri fermentum, quod singulis ferè Mensibus in actum deducitur, cujus generationem in Corde fieri arbitror, ubi omnes Humores in hanc vel illam partem sequestrandi, inordinato eorum motu perfectionantur & adaptantur, deinde in Ovarium sequestrationem, quod situm suum lateribus uteri, peritonio cui annectitur, obtinet, quo plures Vesiculæ includuntur, quæ intûs Corporis humani Proplasma pulchrâ & eleganti serie delineatum referunt, & ductus & meatus exigui, ut in Corpore animalis, laxè Fibrillis tenuissimis ad sese invicem conjunctis exhibentur, qui humore limpido & subtili per Arterias spermaticas ex

ex aortæ trunco has Veſiculas penitùs perreptantes, continuâ Cordis conſtrictione locupletantur, qui multum facit ad majorem partium Ovi, continuò per illos circulando delineationem, & Viſcerum à ſe deductionem & accretionem. Particulæ illæ ibidem ſequeſtratæ, naturali circulationis Humorum lege non morantur, verum à Vaſis Lymphaticis vel Venis Spermaticis veſicularum Membranas inoſculantibus abſorberi debent, quod vel fere ſingulis Menſibus fieri ſolet, ex eo, quod in has Veſiculas, propter partium delineatarum tenuitatem & canalium anguſtiam tanta Humoris quantitas ut per alia partium Organa ſequeſtrari nequeat, vel indeſinenter Sanguine venoſo aut Humore Lymphatico ad Cor deducuntur, donec ſufficiente quantitate fermentum in ſanguine collectum notum eſt Sanguinem pro Executione multum effervefcere.

Nonne alii, ut Menſtruationis cauſam, aſſignant Sanguinis abundantiam?

Dicunt aliqui præcipuam cauſam eſſe Sanguinis certo tempore abundantiam. Coadjuvante calore, facilique Vaginæ & Uteri dilatabilitate & explicabilitate: quibus Fœminis major eſt Copia, illæ largius expurgantur: Præterea Ruſticæ, quæ multum Sanguinis laborando conſumunt, vix vel non menſtruantur. Quibus Sanguis Venæ-ſectione valdè diminuitur iis Menſtrua non copiosè fluunt.

Aliquibus ſingulis Menſibus ſanguis exoneratur per Nares, Pulmones, Gingivas, *immo per Poros Cutis, Capitis,* quod ego ipſe vidi *Lugduni Batavorum* in *Naſocomio,* quum Medicinæ ſtudioſus eram ſub auſpicio *Franciſci de la Boe Sylvii,* Annis

 tribus

tribus ultra quadraginta jam elapſis. Talis fluxus depravatus indigitari ſolet, iſque ob vitioſam uteri Conformationem: quibus ſic fluunt Menſes, eæ variis Morbis ſunt obnoxiæ: ut dolore capitis, appetentiâ depravatâ, Febribus, &c.

Nonne Fermentum Uteri videtur eſſe cauſam magis probabilem?

Majori probabilitate ſtabilitum eſt illud uteri fermentum, paulatim in ſanguinem depoſitum, quo multum ignis in ſe colligens *rareſcit & fervorem* concipit, & eo tandem mediante in uteri ſubſtantiam, cujus Arteriarum & Nervorum filamenta irritando & ſtimulando (quod quam eleganter efficit Cantharidum Tinctura, paucâ doſi cum aliis uterinis præſcripta, quæ Spiritus *petulantiùs movet* & fluxum Menſtruum quam eleganter producit, quod centies in meâ Praxi obſervavi) ſanguinem ad oſcula vaſorum, & Spirituum influxum in circulares uteri Fibras, quo ſucceſſivè uterus & arteriæ conſtringuntur, determinat, quibus uterus turget, dilatatur, ſanguinemque fluidiorem exſudat, quo uſque fermentum una effluxerit.

Tinctura hæc noſtra fermentum illud uteri reddit potentius, ipſumque uterum irritat, & ſic menſtrua movet, nam multo ſale volatili conſtat.

Probant hoc Mulieres bilioſæ (plus ſalis volatilis habentes quam pituitoſæ) quæ brevioribus menſtruantur periodis.

Quâ ætate incipit Sanguis menſtruus fluere?

Ab Anno decimo quarto plus minus, quia tunc Corpus ſuam ferè habet debitam magnitudinem, tunc ſanguis redundare incipit, ac in

utero

utero aliiſque partibus luxuriat; hinc Mammillæ affatim grandeſcunt, uteri collum non manet tam corrugatum, fit rarius, non tam premit ſuas Arterias; major etiam calor ſanguinem vehementius exagitat, Arterias dilatat, rectiores facit, & perrumpit.

Quo anno, & ob quam cauſam ordinariè deſinit Sanguis menſtruus?

Deſinunt ordinariè menſtrua ab Anno quinquageſimo, partim ob defectum ſanguinis & caloris, partim ob viarum arctitudinem & ſiccitatem citius deſinunt in iis quæ ſunt Naturâ calidæ, quam in frigidioribus, quia citiùs ſeneſcunt, & fermenti activitas citiùs extinguitur.

Quâ quæſo viâ excernitur Sanguis menſtruus?

Fertur tam ad uteri Vaginam quam ad fundum, quia etiam aliquando gravidæ patiuntur menſtruorum fluxum, quibus, ſi ſtagnatione ſit putrefactus, fœtum & alimentum ejus inficit, ac abortum infert.

Unde novimus menſtrua inſtare?

Inſtante fluxu menſtruo ſentiuntur dolor, tenſio & æſtus circa Spinam & Hypogaſtrium: Sanguis enim primo impetu nequit perrumpere Arterias.

Eſtne Sanguis menſtruus venoſus, an arterioſus?

Sanguis menſtruus eſt arterioſus, quia ſolæ arteriæ ad uterum ducunt ſanguinem.

An fluunt in Gravidis?

Gravidis rarius fluunt, quia fermenti activitas in illis à materno chylo, qui tum abundat, extinguitur; Chylus enim ratione particularum oleoſarum, cuſpides fermenti obvolventium efferveſcentiæ ſanguinis multum obeſt: partim, quia

pars materni chyli ad fœtum abit, ſicut ſuperfluo fermento ſufficiens tumultuatio in ſanguine ad excretionem menſtrui excitari nequit.

Per quas vias fluit in gravidis?


Per partem uteri à placentâ immunem in cavitatem uteri exſtillat, ex eo, quod maſſa ſanguinea per vaſa hypogaſtrica ſibi vias magis adaptatas & chyli vehiculo cuderit.

An Lactantes menſtruantur?

Rariſſimè vel nunquam menſtrua fluunt in lactantibus, partim ob allatas rationes, partim quia fermentum uterinum lacte per Mammas, infantis ſuctione, foras excernitur, qui tum Diarrhœâ aliiſque Morbis afficitur.

An Sanguis menſtruus differt a Sanguine materno in gravidis?

Non differt, nec ſecundinas nec fœtum nutrit, ſed ſpongioſam uteri ſubſtantiam quo fiat mollior & rarior, cum grandeſcente fœtu, dilatat.



CAPUT XIII.

De Salivâ.

QUid eſt Saliva?

Saliva eſt Humor ſeroſus, ex Ductibus Salivalibus extillans?

Deſcribe mihi ductus hos Salivales?

Ductus hi ſunt Vaſa ſui generis: Quatuor ſunt notabiliores: Duo ſuperiores, qui à Parotidibus, variis ramis originem ſumunt, & ad buccas ſub cute manifeſto orificio in os decurrunt: inferiores etiam duo, qui ſic à glandulis maxil-

maxillaribus diverſis etiam ramulis egrediuntur, quorum unus major, antequam communem truncum attingit, fertur ſub muſculo maxillari digaſtrico. Inferiores finiuntur utrimque ſub apice linguæ prope dentes inciſores maxillæ inferioris, inter quaſdam ibi ſitas papillas. Ad has glandulas Salivæ materia fertur per arterias. Extillat ulterius toto fere ore, ut ex glandulis ſublingualibus, ex tonſillis, quæ poſteriores duas candidas veſiculas ſibi adſitas habent, ſerum ex glandulis recipientes, ac in os effundentes; item utrimque unum ſuum communem, amplum & ovalem in os hiantem, & fimbriâ ſuâ duos ſinus majores, alioſque plures minores, continentem, aliiſque glandulis, quarum unaquæque habet in medio ſinulum perforatum.

Quiſnam eſt uſus Salivæ?

Labia, Linguam, Os, Palatum, Oeſophagum & Aſperam arteriam humectando, ſitim ſedat, Ciborum deglutitionem juvat, Chylificationis in ore facit exordium, participat enim de Natura humoris acidi Ventriculi, hoc eſt, habet particulas quaſdam ſalino-acidas, ſero incorporatas, ideoque Bolus panis maſticati Soli expoſitus chyleſcit, & particulæ Carnis aut Panis dentibus inhærentes albeſcunt, ſed tardius; unde ſola ſaliva ad Chylificationem non ſufficit.

Ex alimentis inter maſticandum tincturam ſapidam elicit, illamque intimius ad guſtus organum devehit, unde ſine Salivâ ſapor deficit.

Nonne Saliva deglutita redit ad Cor, &c?

Redit Saliva cum vel ſine Chylo continuò per vaſa lactea ad Cor.

In quibus Caſibus exprimitur Saliva in nobis largius?

Ubi

Ubi grati aliquid olfacimus, aut videmus, vel avidè aliquid appetimus, Saliva copioſius in os exilit, quia nervi paris vagi, non tantum propagines ad ductus glandulaſque ſalivales demittunt, verum etiam aliquos ad nervos olfactorios, opticoſque, unde facto in hos influxu fortiore augetur & ille in nervis paris Vagi, quo ulterius fibrillarum contractione ductus Salivales anguſtantur, & Salivam ejiciunt.

Unde evenit quod Glans plumbeus in ore rotatus ſitim ſedet?

Glans rotatus in ore linguam movet, ductus anguſtat & ſic Salivam exprimit.

Cur inſtante Vomitu major oritur Ptialiſmus?

Vomitu inſtante Saliva abundantius ex ore fluit, quia ventriculus participat cum glandulis maxillaribus ex ramis nervi ſexti paris & ſecundum tunicam ſuam interiores continuat, cum eâ, quæ eſt in faucibus & palato, atque hic ſympatheticè contrahuntur, & humiditatem ſuam eructant. Tali quoque modo fit vomitus irritatâ membranâ ad initium Oeſophagi.

CAPUT XIV.

De Succo Pancreatico.

Quid eſt Succus Pancreaticus?

Succus Pancreaticus eſt humor ſeroſus qui ex Pancreate in inteſtinum duodenum effunditur.

Quid eſt Pancreas & quis ejus ductus?

Pancreas eſt corpus quoddam ex plurimis glandulis, communi membranâ vaſorum & nervorum ramis inter

inter ſe colligatis, contextum tranſverſim ſub Ventriculo ſitum, unâ ſuâ extremitate ad lienem extenſum, & alterâ inteſtino duodeno alligatum, & non nihil cum illo deſcendens.

Habet Pancreas vas excretorium ſibi proprium, conſtans ramis quamplurimis, quorum ſinguli annexas ſibi habent glandulas Pancreatis, imo illas quodammodo excipiunt. Vocatur illud communiter *ductus Pancreaticus*, ſoletque inſeri eodem oſculo cum ductu Cholidocho obliquè inteſtinum duodenum aut jejuni initium, relicto ibidem quaſi tuberculo, ultra quod Chylus decurrat, ne egreſſum bilis aut ſucci Pancreatici impediat.

Quo modo Succus Pancreaticus a Sanguine ſeparatur, & quo tendit?

Sanguis per arterias ductus, & in Glandulas Pancreatis impellens, per illarum poros, Succum Pancreaticum admixtum amandat in dùctus ramulos,

Succus Pancreaticus ex hiſce ramulis deſtillat in majorem ductum, & inde in inteſtinum, quantitate tamen paucâ, quod ex ductu nunquam pleno, imo vix ab injecta ligatura, in vivo cane innotuit.

Quali ſapore conſtat Succus Pancreaticus?

Saporem habet ſubacidum à particulis ſuis acido-ſalinis ſero dilutis, quibus cum bili affuſus, cum ea luctatur, & fermentationem concipit.

Quid eſt uſus Succi Pancreatici?

Chylum in inteſtinis una cum bile tanquam novum fermentum ulterius diſſolvit: præterea bilem, ne inteſtinis noceat, attemperat, & Chylum diluit. *Leg. Regnarum de Graaf. de Succ. Pancr.*

CAPUT

CAPUT XV.

De Melancholia Naturali.

QUid est Melancholia Naturalis?

Est pars humorum tam terrestris, ut nutrire non possit.

An talis Humor alicubi invenitur in corpore nostro?

Nullibi videtur sequestratus in Corpore, nisi velles Renes succenturiatos receptaculum ejus assignare.

Quales sunt illæ glandulæ in Infantibus?

Majores sunt quam in adultis.

Qualis est aliquorum Opinio de Renibus succenturiatis?

Volunt aliqui in Renibus succenturiatis atram bilem hospitare, (quod falsum est) quæ est humor planè p. n. nec inest Corpori nostro, naturaliter disposito, nec Oeconomiæ animali conducit, unde nullibi locus hospitionis assignari potest.

Quid dicunt alii de situ humoris Melancholici?

Alii dicunt quod ex massa sanguinea Humor acidus & nigricans generetur in liene. Melancholia non est in Liene, nec ab illo immediatè ad Ventriculum vadit.

Quid est Substantia Lienis?

Substantia Lienis composita est ex innumeris vesiculis sive cellulis Membranosis.

Cujus

Cujus ſunt ſimiles hæ Cellulæ?

Similes ſunt fovearum Apum, ſeu Cancellorum ad ſe invicem annexorum mirificè, contextu quodam ſingulari ramus arteriæ cœliacæ ſeſe inſinuat, qui per modum glandularum intus continuò humorem ſuum in cavitatem veſicularum, per vas ſuum excretorium deponit.

Clariſſimus Sylvius dicit quod Sanguis in liene ſecretus ibidem plus quam perficitur. Nam

1. Sanguis ille in liene ſeparatus, non ibi ſemper remanet, ſed motu circulari protruditur.

2. Influxu ſpirituum in Fibras nervoſas ſingulam cellulam ambientes, Materia craſſior & terreſtrior per venam ſplenicam in venam portæ & in cavam expellitur.

3. Sic ulterius elaboratur ut, per vaſa Lymphatica tenuior & aquoſior in Cyſternam pro faciliori Chyli per ductum thoracicum aſcenſu migrare, cogatur.

CAPUT XVI.

De Sero Sanguinis.

QUid eſt Serum Sanguinis?

Serum Sanguinis eſt humor maſſæ ſanguineæ magis aquoſus.

Quare dicitur magis aquoſus?

Quia ſequeſtratus, alias adhuc habet particulas commixtas, v. g. ſalinas, acidas & alias.

Quomodo

Quomodo nominatur Serum pro suâ diversitate?

Pro varietate vocatur vel Lympha, vel Saliva, vel Humor pericardii, succ. digestiv. &c.

Quomodo vocatur quando miscetur Sanguini?

Tunc dicitur serum Sanguinis.

Quem usum habet serum Sanguinis?

Est vehiculum Sanguinis & aliorum humorum ad penetralia partium nutriendarum, quatenus poros primò intrat, expandit & relaxat.

Quâ proportione serum inest Sanguini?

Maximâ copiâ, ob summam liquidorum proportionem quam indies ingerimus.



CAPUT XVII.

De Humore Pericardii.

QUid est Humor Pericardii?

Est Humor serosus Pericardio contentus.

Quænam est Materia istius Humoris?

Materia ejus est serum, habens admixta aliquando tenuissima Sanguinis, quæ secum duxit fragmenta, ideoque loturæ carnium sæpè est similis.

Unde venit hic Humor?

Aliqui dicunt esse Vaporem, qui ex Corde exhalatur, & ad pericardium densius frigidiusque condensatur.

Quis est usus hujus Humoris?

Cordis motum facilitare, ut omnia illa in aqua facilius moveri solent, & ne graviter

&

& impetuoſius Cor in partes vicinas percutiat.

Quis alius adhuc ejus eſt uſus?

Cor refrigerare & humectare, ne perenni ſuo motu exuratur & areſcat.

NOTA: Sicut humor Pericardii ſemper renovatur, ſic pariter extra Pericardium evaporatur.

CAPUT XVIII.

De Lymphâ.

QUid eſt Lympha?

Eſt Humor ſeroſus, totus limpidus, vaſis lymphaticis concluſus.

Quomodo deſcribis illa Vaſa?

Sunt tenuiſſima & pellucida vaſa, oriuntur ex omnibus fere Corporis partibus, & ſorbent ſuum liquorem.

Quid peculiare obſervandum in vaſis Lymphaticis?

Quo incedant tutiùs, hic & inde venas majores inſtar hederæ coronant, ſerum tamen ex illis non lambunt, cujus venoſus ſanguis eſt ſatis indigens.

Quid edoceri poteſt ex valvularum conſtitutione, ex ligaturis, & ex inflatione illorum vaſorum?

Quod vaſa lymphatica, intra diaphragma habita maximè deſinant in Cyſternam, ſeu commune Chyli receptaculum.

Quid

Quid ultra?

Cætera vaſa lymphatica ſuperiore Diaphragmate ad concurſum jugularis cum axillari ſuperiori parti ductus thoracici & Pericardio inſeruntur.

Quid ibi?

Ibidem lympham ſuam referunt, valvula enim ibi videtur perfectiſſima.

Quid tunc?

Hic & oculos effugiunt ob tenuitatem partium ſubjectarum.

Quando redduntur vaſa illa magis conſpicua?

Quando levi rubore aut flavedine inficitur lympha; & poſt animalis mortem, quando vaſa ob tardiorem motum ſunt diſtentiora.

An lympha differt ab aqua nervoſâ?

Minimè ab eâ differt.

Quid lympha in ſe eſt, & quomodo fit?

Lympha eſt pars tenuiſſima ſeri Sanguinis tranſcolata, quæ non vi ſed tranſudatione quadam repit in Lymphatica, quæ tot habent valvulas, ut motui tam debili ſuccurrant.

Cui muneri inſervit Lympha?

Ut dixi antea, Chylum in Cyſterna diluit ut facilius per ductum thoracium aſcendat, & in venâ jugulari ſanguinem venoſum ſero ſuo deſtitutum reddat fluxiliorem, ut facilius in corde rareſcat, in Pericardio humorem ejus reſtauret.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Muco Inteſtinali.

QUid eſt Mucus Inteſtinalis?

Eſt viſcida & glutinoſa Materia, inteſtinis interiùs obducta.

Unde venit illa Materia?

Per arterias deducitur ad glandulofam inteſtinorum tunicam, per illam à Sanguine ſeparatur, & in Cavitatem inteſtinorum tranſudat.

Quale munus obit ille Mucus?

Nervoſam inteſtinorum tunicam tuetur atque defendit contra bilis & aſſumptorum acrimoniam aut aſperitatem, concurrit etiam ille Mucus ad Chylificationem.

Quid notatur de illo Muco in medicamentis vehementer purgantibus?

Liqueſcit (in tali caſu) hic mucus, & abraditur cum noxa notabili.

Quid inde?

Dolores lancinantes & tormina inteſtinorum, imo tandem Dyſenteria vel Sanguinis effluxus vel excrementa Sanguine ad minimum tincta.

CAPUT XX.

De Sudore.

Quid eſt Sudor?

Sudor eſt humor ſeroſus ſub aquæ formâ per cutis vaſcula ſudorifera, vel poros cutis erumpens.

Da mihi deſcriptionem tubulorum ſudoriferorum?

Sunt minimi Tubuli *in* poris Cutis *exiſtentes,* & ad *Cuticulam excurrentes, habentes* ſinguli *ſubjectam glandulam,* per *quam ſerum, ſudoris materia, ſegregatur, ut Microſcopio* demonſtrari poteſt.

Unde Sudor fit ſalſus?

A particulis ſalinis ſero admixtis.

Quænam eſt cauſa Sudoris?

Eſt Calor, vel à Sole, vel ab Igne, Exercitio, Integumentis, &c. quo ſanguis magis agitatur, & per habitum Corporis diffunditur, arteriarum oſcula prope cutem magis aperiuntur, & particulæ ſeroſæ magis flexiles, minuſque aliis adhærentes per illa excurrunt, & humiditatem aliam, ſi quæ ad Cutem lateat, fundunt, cutiſque poros pervadunt; ſed quia non ſatis liberè nec celeriter, pluribus earum particularum ad ſe invicem conglomeratis, in guttulas illæ condenſantur.


Nonne multum faciunt ad ſudorem ſeri copia & moderata pororum apertio?

Imo faciunt, minima vero apertio pororum, quia ſeri moram non facit, plus concurrit ad inſenſibilem perſpirationem. Nimia

Nimia pororum constrictio serum impedit, sed semel factum, multum auget, hinc sudor, factus ab exercitio in hyeme, multo major est quam in æstate.

Cur cum sudore Sanguis non exit?

Ordinariè cum sudore non excernitur Sanguis quia Sanguis nimis ramosus est, aliquando tamen etiam naturaliter aliquæ Sanguinis particulæ minutiores comitari videntur, tumque sudor tingit indusia sub axillis præcipuè.



CAPUT XXI.

De Urina.

QUID *est Urina?*

Urina est humor serosus, in renibus transcolatus.

Unde venit urina?

Venit cum Sanguine, quem diluebat ad renes per arterias renales: Separatur ille humor a Sanguine tanquam superfluus, & quidem continuò sicut continuò pars Sanguinis ad renes pellitur, nutritionis gratiâ.

Quomodo in illis à Sanguine segregatur urina renibus leviter descriptis?

Hoc fit modo sequenti: Sanguis cum sero sibi admixto impellit in renum exteriorem substantiam glandulosam ex arteriis renalibus, varios in ramos divisis, compositam hoc impulsu, statim per illius poros seu Canales minutos particulæ quædam tenuiores separantur in tubulos quamplurimos, eosque majores à canalibus ortum sumentes, quibus constat præcipuè interior renum Substantia, atque ex his desinentibus in octo vel

novem plerumque carunculas papillares quæ ex tubulis illis componuntur, transeunt in pelvim, inde in uretheres & vesicam.

Quid evenit de reliquo sero?

Reliquum, quod ad renes venerat, & Transcribrationi ineptum partim ad venam cavam redit, per venas emulgentes, Sanguinemque, ut ante, diluit vehitque.

Quare hæc facta sunt?

Hæc ita facta sunt, ut Segregationi seri Sanguinis mora daretur, ideo tubuli renales à minori cavitate ad majorem in primâ Conformatione facti sunt. *Vid Malpig. de renibus.*

An solum serum constituit urinam?

Bilis urinam tingit colore flavo & rufo.

Quid præterea?

Particulæ sulphureæ, salinæ, fixæ, terrestres seu tartareæ, &c. quas partes persuendo, secum rapit.

Sunt ne aliæ viæ particulares per quas potulenta citius excernuntur?

Dicunt potulenta tunc non per arterias vehi sed viâ aliquâ propinquiore proximè ex ventriculo vel intestinis ad renes vel vesicam perduci, illorum rationes probabilitatem quidem adferunt, certò tamen nihil probant, tales enim viæ Anatomicis hactenus non sunt satis notæ.

Quandonam & quâ viâ fit urinæ excretio?

Quod tam cito mingamus à potu Cerevisiæ vel alterius liquoris, *viz.* aq. Tunbrigiens. vel Spadan. potest intelligi fieri sine suppositione illarum viarum. Potus enim copiosè assumptus, statim auget fluxum seri ad renes, partim quia citò fluens ex ventriculo in intestina, & inde in vasa

vaſa lactea, protrudit Chylum tam in illis quam in ductu Thoracico prævie exiſtentem & ſic ſerum augetur in maſſa Sanguinea.

Procede.

Quia largus potus, diſtendendo ventriculum & inteſtina, premit vaſa Sanguifera viſcerum abdominis, & ſic Sanguinem cum ſuo ſero facit abundare in aliis vaſis. Sic ad liberiorem tranſitum cogitur maſſa Sanguinea, quo poteſt commodiore modo ſe expedire à redundante Sanguine, & ideo de ſe amandat ſerum, quod ob tenuitatem facillimè cedit per renes, quod ergo ſtatim à potu emingimus non eſt urina potus jamjam ingeſti, ſed quod ante exiſtens in dictis viis, ab illo protruſum eſt.

Habeſne alia argumenta?

Habeo, & dico quod materia potulenta ſatis cito vias ſuas percurrit, & Sanguis etiam veriſimiliter ſemel ſaltem in quadrante in quovis ſano homine circulum ſuum abſolvit, ideo ut non mirum adeo, ſi celeriter à potu mingamus.

Quid ſentis de odore & Colore aſſumptorum (ut Aſparagi vel Rubiæ tinctorum) in urinis?

Illa non probant particulares vias, res illæ communiter ſunt aperitivæ. *Vid. Charlton de Lithiaſi, lege Anatomiam, D. D. Bidloo conterranei noſtri, D. D. Couperum Anglo-Britan.* tamen ne hæc quiſpiam putet à me dicta, ac ſi omnino vias particulares vellem rejicere, quin imo eſt valde plauſibile illas ſubeſſe, ſperoque modernorum Anatomicorum induſtriam illas aliquando detecturam: inſerviat quod dixi dum viæ hæ nondum detectæ ſunt, ut agendo de lacte

etiam ostendi plausibiliter posse sustineri, ejus materiam venire viâ Sanguinis.

Quamdiu retinetur urina in vesicâ?

Donec vel pondere vel acrimoniâ illam stimulet.

Quomodo excernitur urina?

Contractione Musculorum abdominis & fibrarum vesicæ, dum in illas irritatas copiosius Spiritus influunt.

Quomodo fit, quod urina non effluat nobis dormientibus vel non attentis?

Præest Collo vesicæ insignis Musculus annularis sive sphincter, unde ut mingamus, contractione abdominis vel vesicæ debemus aliquatenus superare actionem sphincteris, quæ est perpetuò contracta.

Cur ex vesicâ non regurgitat urina in Uretheres?

Non potest, quia Uretheres obliquè inter vesicæ membranas sunt inserti, & sic dum in illas procumbit, claudit sibi ipsi viam.

Cur in hyeme copiosius urinam reddimus quam in æstate?

Quia pororum insensibilis impeditur perspiratio, & serum ad inferiora divertitur; sic in aqua frigida positi occlusione idem facimus.

CAPUT XXII.


QUID *sunt Lachrymæ?*

Lachrymæ sunt liquor excrementitius serosus ex oculorum glandulis prorumpens occasione magnorum animi pathematum, doloris, tristitiæ,

ſtitiæ, commiſerationis, gaudii repentini,&c. Spiritus animales & Sanguinem ita agitantium & compellentium ut portiones ſeroſas & lymphaticas largius ibidem deponant & dimittant. De earum natura origine & excretione vide *Wharton de Glandul. Bartholin, Willis, &c.*

Quid eſt mucus narium?

Eſt humor lentus viſciduſque naribus inhærens.



CAPUT XXIII.

De Sanguine Puerperii.

QUID *eſt Sanguis Puerperii?*

Eſt Sanguis à quo mulier in puerperio expurgatur.

Quid intelligis per puerperium?

Puerperium eſt tempus durans à partu ad puerperæ purificationem.

Quo temporis ſpatio ſolent mulieres noſtrates purgari?

Solent mulieres in Anglia purgatæ eſſe 12, 10, 8, ſive 4 dierum ſpatio.

Quæ eſt materia Sanguinis puerperii & quomodo excernitur?

Hic Sanguis tempore graviditatis ſolebat replere Spongioſitates uteri ad illius incrementum, & qui jam partim tranſudat in illius ſe reponentis cavitatem, partim vero venas intrat, ubi novam plethoram faciens, more menſtrui expurgatur: vel etiam ille qui effluit ex arteriolis, quæ ante Chylum, ad nutrimentum fœtus duxerant ad placentam, necdum omni modo clauſis.

OBSERVATIO.

Si Sanguis hic diu moretur in Cavitate uteri, concreſcit in craſſa fruſta, vel dici poteſt illa fieri à Sanguine qui ex Secundinis prævиè effluxit, hæſitque in utero.

CAPUT XXIV.

De Aqua Parturitionis.

QUID *eſt Aqua Parturitionis?*

Eſt ea, quæ tempore partus fluit ex utero.

Quænam eſt materia hujus aquæ?

Materiam habet fœtus urinam, ſudorem, & Chylum ipſi ſuperfluum contentum in membranâ amnione.

Quando, quâ causâ, & quo fine effluit?

Effluit, cum jam Calcitratione fœtus membranæ rumpuntur, ſubinde diu ante fœtus egreſſum. Melius eſt ſic non erumpere, nam vias lubricando debet partum accelerare.

CAPUT XXV.

QUID *eſt Sanguis Hæmorrhoidalis?*

Sanguis Hæmorrhoidalis eſt portio Sanguinis redundans, quæ per arterias Hæmorrhoidales expurgatur.

Habetne in maribus vices menſtrui, venitne ex liene, & eſtne venoſus?

Habet rationem menſtrui in viris, minimè venit ex liene ut voluerunt veteres, nec venoſus eſt Sanguis, ſed verè arterioſus.



PHYSIOLOGIÆ

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De Spiritibus in genere eorumque speciebus.

QUID *sunt Spiritus?*

Spiritus sunt pars Corporis tenuissima & agitatissima.

Quâ constant materiâ?

Eorum materia est pars massæ Sanguineæ tenuissima, hoc est, Sulphurea magis & ignea quasi, quæ ex omnibus Chyli partibus cujusque figuræ, magnitudinis, soliditatis, &c. generari potest, modo illæ sint aptæ dividi & attenuari.

Nonne à ligato nervo probas dari Spiritus in corpore humano?

Ligato vel abscisso nervo alicujus partis, sic ut Spiritus non possit ad illam partem venire, statim perit ejusdem partis motus & sensus.

Quo-

Quomodo dividis Spiritus?

Nullos novi nisi animales sic dictos quod animalia munera obeunt.

Quotuplices sunt illi?

Duplices sensorii & motorii prout in partem nervi (medullarem quæ motui, vel membraneam quæ sensui inservit) influunt, Spiritus vitalis dicitur prout facit actiones vulgò vitales, & naturalis prout facit actiones naturales, & sic de cæteris, idque sine ulla distinctione specifica.

Dicisne ergo animales Spiritus solos esse Spiritus?

Imo vero, quia eorum essentia consistit in celerrimo motu particularum aliquarum tenuissimarum, à Sanguine separatarum, sic ut Spiritus vitalis non sit verus Spiritus, sed Sanguinis pars tenuissima, atque ita, de ejus essentia, ut ab eo non sit separabilis: Eo modo quo Vinum, extracto Spiritu, Vinum vocari desinit. Sed benè, ut à Spiritu, illud Spirituosum dicitur: ita Sanguis à Spiritu vitali spirituosus vivensque, potest nominari: Addito & hoc, quod actio vitalis, à quâ Spiritus vitalis appellatur, melius sub naturali comprehendatur, & sic etiam divisio Spiritus in tria membra non valebit.

Quomodo fiunt Spiritus animales?

Spiritus animales generantur in Cerebro solâ sequestratione à Sanguine, qui Spirituum materiâ impregnatus, ex sinistrâ cordis cavitate in ramulos arteriarum carotidum vertebralium, quos pertransit, expellitur, & ex quibus intrat cerebri & cerebelli substantiam corticalem sive externam & cinericeam reliquâ laxiorem, quæ ex indefinitis venis & arteriis, ex ramis carotidum & cer-

cervicalium, ortum ſumentibus, variis modis contortis & inflexis componitur.

Sanguis ſic impulſus à poſteriore priorem Sanguinem urgente, mox particulæ tenuiſſimæ ob ſpecialem, cum ejus cavitatibus imminutis ſatis, Conformationem, tranſit per gyros & anfractus arteriarum in tubulos cerebri albicantis ſubſtantiæ & cerebelli, quia facilius ibi poſſunt moveri.

Reliquus vero non ſufficienter adaptatus, per venas & forſan vaſa Lymphatica, dictos arteriarum tubulos inoſculantes in venas cervicalem & carotides avehitur.

Quot modis excurrunt Spiritus hi animales ex Cerebro?

Quadrupliciter ex Cerebro excurrunt: primò, per *Imperium* Animæ, puto enim ab Authore naturæ talem legem eſſe poſitam inter animam & Spiritus animales, ut ad *ipſius Velle* mox influant, quo illa vult, abſque eo quod illos protrudat (quod à re Spirituali haberi non poteſt) eſtque motus ille determinatus & vehementior.

Quid ſecundo?

Secundo: Spiritus expelluntur mediante Sanguine, Cordis conſtrictione, in Cerebrum & Cerebellum ejaculato, noviſque Spiritibus ſtatim ex illo ſeparatis qui Spiritus animales prævie Cerebro inexiſtentes, ex tractibus ſuis non ſatis amplis, totâ Cerebri diaſtole, partim etiam ſyſtole, & continuâ Spirituum accretione, quâ priores à poſterioribus protruduntur, urgent ad nervorum initia, eſtque motus ille indifferens atque tardior, & ex quo omnium muſculorum æqualis & Tonica ſemper tenſio. Patet enim ex hoc

hoc cur ſingulis pulſibus fiat totius Corporis concuſſio (quatenus & hæc à Sanguine continuò in arterias propulſo aliquatenus poſſet fieri) item patet, cur abſciſſo uno brachio, alteri majus robur adnaſcatur, & cur alteri duorum muſculorum Antagoniſtarum Paralytico, alter velut ſpaſmodice contrahatur, ac ſecum, quo contrahitur, ferat partem: Scilicet quod tum dictæ partes majore Spirituum Copiâ inflentur & tendantur.

Quid tertiò?

Tertiò: fluunt Spiritus ex Cerebro cum pars aliqua irritatur, cum enim motu fibrillarum nervoſarum pori in Cerebro aperiuntur, & ſic ſtatim fluunt Spiritus verſus partem irritatam.

Sic fit in reſpiratione, in motu Cordis, in motu periſtaltico, &c. in quibus naturalis quædam fit irritatio.

Fluunt præterea, cum membrum aliquod titillatum aliter (ſed p. n. tunc eſt irritatio) ſubinde contrahitur.

Verum propter talem pororum in Cerebro apertionem, hic effluxus Spirituum eſt talis, ut non tantum fiat in nervos partis irritatæ, ſed etiam in nervos illis vicinos, atque hinc potiſſima cauſa ſympathiæ eſt deſumenda, quæ inter diverſas partes obſervatur, v. g. inter renes & ventriculum, ob quam, illis irritatis, fit vomitus.

Item inter Colon & Ventriculum ob quam, illo iterum irritato, fit Vomitus, &c.

Quid tandem quartò?

Quartò denique diverſimode fluunt Spiritus: hoc eſt velocius, tardius, interruptim, continuatim, &c. occaſione diverſorum animi Pathematum: ut in triſtitia, lætitia, ira, timore, &c.

vi-

videre eſt etiam in vita, aut in multis ſaltem ipsâ animâ non cognoſcente modum talis Spirituum effluxionis, etſi benè interim diſtinguat ſe lætari, triſtari, &c. quod autem occaſione animi Pathematum Spiritus animales ita moveantur, non aliter interim poteſt explicari quam per legem *Authoris Naturæ* poſitam, inter Animam & Spiritus, quâ illi certâ Animæ cogitatione aut affectione commoveri debent.

Nonne Spiritus ex Cerebello provenientes inſerviunt actionibus involuntariis?

Ex cerebello potiſſimum veniunt Spiritus inſervientes actionibus non voluntariis, atque hoc monſtrant medulloſæ ſtriæ ex hoc ad nervos Paris Vagi. Hinc rationem habemus, quare in Apoplexia non pereant omnino Pulſus & Reſpiratio, quæ partim fiunt per illos nervos.

Nonne hic motus Spirituum malè comparatur exploſioni pulveris Pyrii?

Immo vero: Spiritus in naturali ſtatu motum facturi, inſtar pulveris Pyrii non accenduntur in Cerebro, aut ex illo exploduntur, nam ſic motus noſtri ad nutum Animæ non poſſent cohiberi.

Quomodo fit dolor ex defatigatione, & quid eſt ipſa defatigatio?

In membri alicujus defatigatione ſentitur aliquis dolor, qui non tam fit ex Spirituum animalium conſumptione, quam ex ſolutione continuitatis fibrarum, per diuturnam tenſionem: ipſa vero defatigatio partim fit ex conſumptione Spirituum, partim vero ex ſanguine ad debilitatam partem magis affluente, ut ſic Spiritus ſatis copioſè non admittant.

CA-

CAPUT II.

De Partibus in genere.

QUID *est Pars in genere?*

Est illud quod complet totum.

Nonne variis modis pars dividitur in medicinâ?

Variis sanè modis dividitur, ut primo, in fluidas, & solidas.

Quid sunt partes fluidæ?

Partes fluidæ sunt sanguis & Spiritus, de quibus egimus antea, & sunt in continuo motu.

Quid sunt partes solidæ?

Partes solidæ sunt partes omnes à jam dictis separatæ, sive distinctæ, ut cutis, caro, ossa, nervi, membranæ, arteriæ, venæ, crines, ungues, &c. de quibus hoc capite agemus.

Quid est pars solida strictius sumpta?

Pars solida est corpus solidum toti continuum, ad Corporis nostri usum destinatum.

Cur dicitur ad Corporis nostri usum destinatum?

Ut excludantur tumor, verruca, &c. quæ quidem toti continuantur, sed tamen usum in Corpore non habent, ideoque non sunt partes.

Quænam est secunda partis divisio?

Secunda partium divisio est in partes organicas & inorganicas.

Quid sunt partes organicæ?

Partes organicæ sunt, quæ ad completam & peculiariter sibi demandatam actionem requirunt spe-

ſpecialem Conformationem, ut oculus, auris, naſus, &c

Quid ſunt partes inorganicæ ?

Partes inorganicæ ſunt, quæ non requirunt ſpecialem Conformationem, ut ſimplex caro, membrana.

Quænam eſt tertia partium diviſio ?

Tertia diviſio eſt in partem principalem & miniſtram.

Quænam eſt pars principalis ?

Pars principalis eſt, quæ toti Corpori largitur aliquid ad vitam abſolutè neceſſariam.

Quæ ſunt partes animales ?

Partes animales ſunt Spiritus animales, Cerebrum, ſpinalis medulla.

Quæ ſunt partes naturales ?

Sunt cor, pulmones, ventriculus, inteſtina, hepar, lien, partes genitales.

Quid eſt pars ſimilaris ?

Cujus omnes partes primo intuitu apparent ejuſdem Subſtantiæ.

Quid eſt partes diſſimilares ?

Cujus non omnes partes primo intuitu apparent ejuſdem Subſtantiæ.

Cur dicitur primo intuitu ?

Quia alias multæ, aſſignari ſolitæ pro ſimilaribus, tales non ſunt, pauciſſimæ enim erunt in quibus non diverſam Subſtantiam notabis. Pro ſimilaribus aſſignantur : Os, cartilago, tendo, glandulæ, adeps, nervus, arteria, vena, vaſa Lymphatica, vaſa lactea.

Quomodo Scholis pars dividitur ?

In Spermaticas, Sanguineas & Mixtas.

Quæ-

Quænam numerantur pro Spermaticis?

Pro Spermaticis numerantur (ut ſimilares) os, cartilago, crines, ungues, &c.

Quæ ſunt partes ſanguineæ?

Pro Sanguineis numeratur Caro quadruplex, 1. Muſculorum. 2. Caro Viſcerum. 3. Caro cuilibet parti membranoſæ particularis, ut ea ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, uteri: denique caro glanduloſa, quæ glandulas conſtituit.

Quænam eſt pars mixta?

Pars mixta putatur Cutis, eo quod hoc ad exactum tactus organum videtur requiſitum.

OBSERVATIO.

Multum ego dubito, an omnes illæ partes ſint tales, ut aliquæ earum tantum componantur ex Semine, aliquæ præciſè ex utriuſque partibus æqualibus. Non nego tamen aliquas formari ex ſemine ſaltem partialiter, nam dum per colliquamentum Ovi Muliebris, quod ſolum hic pro ſemine habemus, erumpunt Spiritus vel Sanguis, *veriſimiliter* laterum ſuorum ductuum exſiccatione proximè ex illo nervos, arterias, venas, & alias quaſdam partes excudunt: *Quinimo omnino fuit ante Sanguinem Veſicula ſeu Membranula Puncti rubri Salientis* in prima conformatione noſtra.

Neque partes Spermaticas negare cogit, quod quidlibet ſibi ſimili nutriatur, omnes autem corporis partes nutriuntur ſanguine, quia ad ſummum inde ſequitur, omnes ex maſſa ſanguinea (cujus tam diverſæ ſunt particulæ) ſibi magis congruas & ſimiles admittere particulas intra ſuos poros, vel eos ſuo calore & ſpiritibus aliquatenus

quatenus ſolemus immutare, antequam illis nutriantur.

Omnes partes ſolidæ quæ rubent, à ſanguine hoc habent, ſunt enim de ſe albæ, ut patet, ex illarum in aqua ablutione aut commaceratione, qua tincturam ſanguinis exuunt: ideoque Hydropicis & Cachecticis, quibus maſſa ſanguinis vix rubricat amplius quam lotura carnis, hepar & partes aliæ tam albæ ſunt.



CAPUT III.

De Speciebus actionis naturalis & primo de Fame & Siti.

QUid eſt Fames?

Fames eſt moleſta ſenſatio vellicationis in ventriculo, occaſione cujus determinamur ad rem ſolidam, illius tollendæ gratiâ, appetendam.

OBSERVATIO.

Eſt ergo Fames ipſa vellicationis perceptio, & non ipſe appetitus, qui illum potius ſequitur, nam Famem pati poſſumus & non appetere, v. g. inter jejunandum.

Cur major Fames hyeme quam æſtate?

Quia fermentum ſtomachale tunc eſt acrius & tranſpiratio eſt minor.

Quænam eſt cauſa Famis?

F Eſt

Est acidum: quod probatur, quia acida augent famem, & deperditam restituunt: eamque tollunt, quæ acidum infringunt vel temperant, v. g. Oc. Cancr. C. C. calcinat. Margaritæ, Pinguia, Spiritus Vini, &c.

Quid est Sitis?

Est sensatio molesta vellicationis in ore & faucibus, occasione cujus determinamur ad rem liquidam, illius tollendæ gratiâ, appetendam.

Quænam est causa Sitis?

Est Siccitas, humor vel vapor salsus. Siccitas quidem per se sitim non facit, quia non est nisi absentia humidi; sed quatenus per illam aridæ œsophagi fibræ cum molestiâ sese attingunt afficiuntque in motu suo.

Fit etiam motu fibrarum nervosarum ad cerebrum & animæ sedem propagato.

Nonne Sitis plus animam afficit quam Fames?

Experimur sanè sitim omnium passionum animæ esse gravissimam, & minus quam Famem tolerabilem, quia humidi in Sanguine absentia œconomiæ functionum naturalium prædo est, & Sanguis effervescere desinit: deinde tum Spirituum aliorum humorum à Sanguine segregatio, & in eum rursus deductio læditur. Hinc languent omnes actiones, & majore in Sanguine exsiccatione tandem interficiuntur.

Jam sequitur ut de Chylificatione ageremus, sed quia (*Cap. de Humoribus*) de ea satis diximus, ideoque duo solum vel tria addemus antequam de Sanguificatione loquamur.

Primo credimus quod digestio melior procedat de

de nocte cum dormimus, quam de die cum vigilamus, ſaltem in caſu æqualis aſſumptionis & reliquorum parium.

Nam cum in ſomno Sanguis & Spiritus non ita ad exteriora corporis ferantur, ſic ventriculus plus habet acidi & caloris, plus conſtringitur, ciboſque melius complectitur. Hinc ſequitur, quod cœna contra hodiernum morem deberet eſſe lautior prandio. Nec refert quod tempus inter prandium & cœnam proximam minus ſit, quam inter cœnam & proximè prandium, quia certè quod aſſumptum eſt lauto prandio ſæpè ante cœnam non eſt integrè digeſtum, & ſic ventriculo tunc duplex onus incumbit.

Præterea non hoc probat meliorem Chylificationem in vigiliis, quam in ſomno, ſed ad ſummum citior Chyli ex ventriculo elapſum.

Quare à paſtu rigent & horreſcunt aliqui?

Quia potus noſtri frigidi ſunt, & numeroſi ventriculi nervi frigore alimentorum quorundam & ſic fibrillarum motu ſpiritus animales magis agitantur, & ſolito etiam vehementiùs in corporis muſculos excurrunt. Verum hoc non fit propter frigus ventriculo & ejus ſanguini, & deinde aliis partibus ad cor uſque ſucceſſivè communicatum, nam aliqui horrent ſtatim à primo frigido quod ingerunt, quo tempore talis ſucceſſiva communicatio nequit eſſe facta.

Neque enim fit ille horror vel rigor, quia tempore comeſtionis, omnis calor (ut vulgus loquitur) ad ventriculum cibos concocturus, aut ſaltem Chylificationem inchoaturus recurrit, a-

F 2 liaſque

liaſque partes deſerit, nam ſi hæc eſſet Rigoris cauſa, cur non duraret diutius? Concoctio enim non tam brevi perficitur.

Frigus eſt cauſa rigoris, ideoque actu & potentiâ calida rigorem non faciunt.

OBSERVATIO altera.

Quæ ſapiunt, chylificantur felicius, quia talia ventriculum blandius afficiunt, unde major ſpirituum affluxus, & arctius illa complectitur.



CAPUT IV.

De Sanguificatione.

QUid eſt Sanguificatio?

Eſt chyli in Sanguinem converſio.

Nonne illa fit in Hepate?

Illa fit in toto corpore, ſed præſertim in corde, & quidem in ventriculo ejus ſiniſtro, in quo particulæ Chyli cum ſanguinis particulis maximè areſcunt, agitantur, & in ſe invicem impellendo variè contorquentur, fiunt tenuiores flexiliores, & tandem ob aliam luminis reflexionem, rubræ; unde non mirum quod ſanguis coagulatus ſolidiorem maſſam faciat quam Chylus licet particulas habeat tenuiores, quia habet ſaltem magis flexiles, ramoſas & ſibi invicem intricabiles quam Chylus, qui per rudiorem partium à ſe invicem diſcerptionem à fermento ſtomachali factus eſt.

Quiſnam

Quænam est Sanguificationis causa?

Est Calor sive igniculus noster naturalis, qui à præviâ sanguinis in corde fermentatione superstes, statim se insinuat in poros alterius sanguinis cum admixto ipsi chylo in cor illapsi, in quorum transitu, dum occurrit aliquibus particulis minus accommodabilibus, amplius in illius poris colligitur, ut eos repleat, sicque chyli particulas inter sese & cum sanguine in corde arteriisq; fermentando, variè agitando, contorquendo paulatim comminuit, flexiles reddit, & ad rubedinem disponit.

Quomodo fit aliquatenus sanguificatio in toto corpore?

Fit etiam sanguificatio in totius corporis arteriis venisque, ad quas sanguis etiam ex corde ignem evexit; unde verisimile est, ejus tenuiores particulas illo motu rarefactionis quem habent ultra suum circularem, extrorsum magis & ad latera vasorum projici; crassiores vero minusque mobiles in medio magis detineri, & sic venæsectione saltem cum apertura minore, tenuiorem duntaxat sanguinis partem educi.

Quænam est causa rubedinis Sanguinis?

Calorem rubedinis causam esse, consequenter sanguificationis authorem, nemo negabit, qui mala cydonea ante alba, cerevisiam & alia, coctione videt rubescere: item qui apud chymicos liquores aliquos sibi affusos fermentari, & à fermentatione ruborem induere conspexit, & ostreas, quæ ob debilitatem caloris videntur exsanguia, certo tempore aucto calore succum suum nutritium in sanguinem excoquere.

CAP. V.

De Circulatione Sanguinis.

QUid est Circulatio Sanguinis?

Est motus, quo Sanguis indesinenter abit per arterias à corde, iterumque per venas ad id redit.

Unde probas Sanguinem circulari?

Ex phlebotomia instituta in brachio aut extrema manu, ut & ligatura.

Quâ serie peragitur Circulatio?

Sanguis, v. g. ex vena cava ascendente fertur ad dextram cordis auriculam, inde in dextrum cordis ventriculum, post sui in hoc ventriculo rarefactionem in arteriam pulmonariam & sinistram cordis auriculam, inde in sinistrum cordis ventriculum, inde post alteram sui in hoc rarefactionem, pellitur in arteriam aortam, tam ascendentem quam descendentem & per totum corpus dispersam, ex qua denuò in correspondentes venæ portæ & cavæ ramos ad auriculam dextram velut ante, ducitur, idque secundum dicta, quatuor modis, nempe immediatè per inosculationem ramorum & transudationem ex arteria in adjunctam venam, vel mediatè per carnem mediam inter ramos venosos & arteriosos, & per sinus eorumque ramos in cerebro, ubi sanguis ex arteriis carotidibus & vertebralibus à sinibus absorbetur, & ex his ad jugulares amandatur.

Quis est finis Circulationis Sanguinis?

Est

Eſt partium nutritio, corporis calefactio, ſpirituum tam vitalium quam animalium generatio, ſanguinis à coagulatione præſervatio.

An certum tempus circulo ſanguinis præfigi poteſt?

Hoc deſcribi non poteſt, minus tempus requiritur totius maſſæ ſanguineæ circulationis in calidis quam frigidis, quia in illis ob citiorem rarefactionem ſanguinis, cor citius ad contractionem vel potius conſtrictionem, quâ ſanguinem propellit, irritatur: item minus requiritur in illis qui in motu ſunt, quam in quieſcentibus, quia in illis muſculorum contractione vaſa per vices magis coarctantur, ſanguiſque promovetur.

Item minus in febricitantibus quam non febricitantibus, niſi diceremus in illis non moveri celerius ſanguinem, quam in his, ſed ob majorem ſanguinis fervorem vel acrimoniam cor quidem & auriculas ſubitò irritari & conſtringi, & ſic ex illis citius expelli ſuſceptum ſanguinem, ſed minore quantitate, eò quod ob ſubitam irritationem tam cordis quam auricularum pro majore ſanguinis copia inſtillanda, mora non ſit, adeoque quod ſanguis velocius in arterias expellatur, ſed quia in tantilla quantitate, ideo tota maſſa non circulatur celerius. Denique minus tempus requiritur ſanguinis circulo in vaſis cordi vicinis, ut pulmonalibus, intercoſtalibus, coronariis, &c. valde tamen celeriter, immo ſexto amplius in quovis ſano & adulto (idem eſt de junioribus) Sanguinem in hora circulari credit *Lowerus*, & ſuadent illud *pulſuum numerus qui ad minus in hora eſt duorum millium*, & quantitas ſanguinis poſt ſingulos pulſus cordis

ventriculos ingredientis, & tam arctâ & violentâ cordis constrictione superveniente integrè iterum excutiendi: siquidem illa sanguinis quantitas in homine sano & adulto non est aliquot tantum guttarum, dragmatis vel semiunciæ (ut credunt aliqui) sed duarum ad minus unciarum. Hoc probatur ex sinistri cordis ventriculi capacitate, quæ unciis duabus facilè sufficit, & ex summa ejus in diastole extensione, quæ magis fit ex sanguinis copiâ, quam rarefactione, quæ naturaliter blanda est, nec fit cum tanta sanguinis turgescentiâ ut minor quantitas ventriculos sic expanderet: item, probatur ex quantitate sanguinis, qui vel in cane ex præscisso ventriculo cordis sinistro cunctis pulsibus spectatur eructari.

Sit ergo quantitas sanguinis singulâ diastole ventriculos intrare, & systole iterum integrè expelli soliti in homine adulto & sano duarum unciarum: sequitur inde, quod tempore unius horæ (quo ad minus pulsuum duo millia numerantur) per cor transirent quatuor millia unciarum sanguinis, quæ faciunt simul trecentas & triginta quatuor libras.

Ponamus ergo quod in dicto homine libræ xxv sint sanguinis (quamvis hoc valde multum esset, & sanguis plerumque fit pauciorum librarum) sequitur in illo tempore unius horæ Sanguinem tredecies circulari & sæpius si in minore sit copia.

Insuper quam celeriter sanguis circuletur, ex hoc patet, quod discissâ vel tantum unâ arteriâ carotide, intra duodecimam horæ partem, omnis sanguis ferè per illam effluat, quod si fiat, quam

brevi

brevi tempore non excurrat ex aorta, aut omnibus arteriis ſimul diſciſſis? imo intra vigeſimam partem horæ (trium viz. minutorum) ſanguis integrè effluxerit, ſi arteriis brachialibus, ſub axillis, coarctatis, aorta deſcendens, digito in ſiniſtrum latus immiſſo prope cor comprimatur, nam ſic totus ſanguis, præter illum qui arterias vertebrales ſubit, carotideſque incurrit?

Quid præterea notandum in circulatione Sanguinis?

Notandum eſt quod ſanguis non movetur celerius deorſum quam ſurſum, ideoque cor hominis capiti vicinius eſt. Hinc etiam patet clarè cur manus pendula intumeſcat, ſcilicet quia plus ſanguinis per arteriam brachialem aſcendit, quam per venam correſpondentem poteſt abſorberi, ideoque juſto plus fibras inundat, contrarium fit in brachio elevato.

Quid ſecundo notas?

Noto, quando Cingulo arctè conſtricti, ſumus calidiores, quia veſtes preſſius adducit, at etiam quia impedito in exterioribus circulo, ſanguis eum magis perficit in interioribus.

Nonne ſanguis in interioribus circulatur in Syncope, ut & affectibus hyſtericis?

Reſpondeo: In affectibus Hyſtericis, Syncope &c. licet Circulatio in partibus exterioribus non fiat, ut pulſus abolitus teſtatur, poteſt tamen ea adhuc haberi in vaſis coronariis, intercoſtalibus, aliiſque cordi vicinioribus; & forte aliquando in illis affectibus poſſit ad breve tempus integre ſufflaminari circulatio (N. B.) ſic, ut illa denuò ſpiritibus tum animalibus, tum vitalibus per volatilia ſuſcitatis, ægro convaleſcente renaſcatur. Sic punctum rubrum in Ovo poſt in-

incubationem refrigerato ſalire deſinit, ſed digito tepido vel halitu contactum reviviſcit, & ſolitas choreas agit.

Nonne, ut Sanguis, ſic alii quidem humores, circulantur in corpore noſtro?

Uti Sanguinem per arterias & venas circulari jam ſatis conſtat, ita & humor Pericardii, Saliva, Succus Pancreaticus, Lympha, Spiritus, &c. ſui generis circulo non deſtituuntur, quoniam (ut de ſingulis ſuo loco videre eſt) omnes alternis vicibus à corde veniunt, & ad illud revertuntur, excepta bile, de cujus reditu ad cor nihil certi ſcimus.

CAPUT VI.

De Motu Cordis.

Qualis eſt motus Cordis?

Eſt motus Muſcularis.

Quotuplex eſt motus Cordis?

Triplex; Contractivus, Syſtole: Dilatativus, Diaſtole. Et mora inter utrumque quæ dicitur Peri-ſyſtole.

An Auriculæ cordis etiam moventur & quomodo?

Auriculæ cordis ambæ ſimul habent etiam ſuam Syſtolen & Diaſtolen, ſicut ventriculi cordis: ſed dum ipſarum eſt Syſtoles, ventriculorum eſt Diaſtoles, & è contra.

Quænam eſt cauſa Contractionis ſive Syſtoles cordis?

Cordis

Cordis Syſtoles fit ab influxu Spirituum animalium, facto per hoc, quod illud à Sanguinis copiâ, turgeſcentia aut aliâ qualitate irritetur: ſolet enim ſanguis ad partes irritatas affluere, quia pori cerebri motu fibrillarum nervoſarum mox aperiuntur; nullatenus fit Syſtoles per merum lateris cordis reſultum, qui in parte molli tantus eſſe non poteſt.

Quid dicunt alii contra hanc poſitionem?

Dicunt, cor exſectum, ſi pungetur, adhuc pulſare: Aſt ego reſpondeo, quod ille pulſus non fit, niſi aliquo ſanguine, adhuc in ventriculis rareſcente, alias, quod tantum fit aliquarum fibrarum à Spiritibus, illas adhuc penetrantibus, conſequenter non eſt verus pulſus. Illam rarefactionem in theſi quondam defendebam ſub titulo de rarefactione Sanguinis.

Unde veniunt illi Spiritus?

Ex Cerebello; quod cordi illos perpetuò promit per nervos *Octavi Paris*, aliis *Paris Vagi*; unde illis ligatis uno aliove die in cane, cum languore & cordis palpitatione, ejus interitum aſſerit clariſſ. *Lowerus*, iſque citiùs ſuperveniret, niſi aliunde nervorum ramulos non ita ligabiles, v. g. ab intercoſtalibus acciperet. Unde cerebro, quantum cor egeat, ſatis conſtat influunt Spiritus, ut ſupra eſt dictum, ad conſtrictionem cordis per irritationem, quam patitur illud in ſui dilatatione; unde quibus cor tenerius, ut in Pueris aliiſque, iis pulſus eſt crebrior.

Nonne motus Cordis acceleratur à ſectâ Venâ?

Acceleratur Cordis motus à venæſectione ſtatim, ut probat pulſus ab illâ ſtatim crebrior, quod fit partim ob viam Sanguinis liberiorem, partim

partim propter ejus copiam minorem, reſpectu materiæ ſubtilis, quæ ideo in corde minor eſſe non debet, ſaltem ſi ante ſufficienter fuerit in Sanguine.

Nonne Cordis conſtrictio fit in omnem dimenſionem?

Cor conſtringitur in omnem ſitus differentiam, & quò arctius multas habet intus cavernulas rimaſque, ne à conſtipante intus carne impediatur, ejus cuſpis in ſyſtole effertur ad Baſin minus mobilem, in Diaſtole vero è contra.

Eſtne valida Cordis Syſtole?

Quam valida ſit Cordis Syſtoles, ſatis ſentit impoſitus digitus, qui non minus quam à manu validi hominis comprimitur: item ſciet, qui conſiderat quam longè & per quos anfractus ſanguinem in corpore propellat. Illum in infante, cordis palpitatione laborante, vidi coſtas lateris ſiniſtri elevaſſe. In nobili Domicella etiam tantam obſervavi ſyſtolem, ut cum notabili fieret ſonitu, quem aſtantes mecum audiebant, *immo Coſtas diffregiſſe obſervârunt alii.* Verum hæ Syſtoles ſunt præternaturales, ſed tamen ex quibus naturales noſci poſſunt.

Quomodo iterum confirmas cordis ſyſtolem fieri influxu Spirituum in fibras?


Neque cordis ſyſtolem influxu Spirituum animalium fieri, diſſuadent exſecti Cordis vel alicujus ejus fruſtuli, ad puncturam contractiones, quia equidem illæ fiunt à Spiritibus animalibus, fibris adhuc inexſiſtentibus, qui per nervos influxerunt. Pariter nec hoc diſſuadet contractio, quæ fit in puncto rubro ſaliente *in Ovo* ab incubatione, ubi nervi necdum apparent,

namque

namque ibi etiam constrictio illa fit à membranulâ vigoratâ, dum nimis distenditur ab effervescente intus sanguine & humore quem undiq; ambit, fibrarum suarum contractione reprimente; unde ipsa ibi habet vicem Musculi, & cordis rudimentum est.

Cur Cor magis pulsat in Sinistro latere?

Quia arteria magna ex eo exit latere, ejus Cuspis sive mucro eò vergit, & contractio illâc major est ob ventriculi sinistri majus robur.



CAPUT VII.

De Pulsu.

QUid est Pulsus?

Pulsus est arteriæ dilatatio & constrictio alternatim facta.

Quænam est causa Diastolis & Systolis in pulsu?

Causa est Sanguis, qui, dum constrictione in arterias urgetur, partim suâ adhuc rarefactione, partim copiâ majore, quam facit cum præ-existente in arteriis sanguine, arterias distendit: & hæc dicitur Diastole: Systolis vero causa est partim sanguinis, tempore quo Cor iterum dilatatur, in venas effluxio, quâ arteria nonnihil concidit, partim etiam constrictio fibrarum orbicularium in arteriæ utrâque tunicâ, ope quarum, dum illæ fibræ a Spiritibus animalibus, ob sui à dilatatione irritationem, inflantur, arteria se perpetuò nititur aliquatenus constringere.

Nonne

Nonne Arteriæ moventur motibus contrariis, r. u. Cordis?

Ex dictis patet, Arterias continuò agitari motibus contrariis ventriculorum cordis, hoc est, Arteriarum diastolem esse cum Cordis systole, & è contra; moveri vero motibus similibus, r. u. Cordis auricularum quæ pariter contrariè ad ventriculos simul moventur.

Cur pulsant arteriæ, non item venæ?

Pulsant promiscuè arteriæ, imprimis ut ex circulatione constat, Sanguis per illas movetur de viâ latiore in strictiorem, & quidem magno impetu, unde illa debet expandi; deinde quia Arteria duplici suâ tunicâ magis resistit sanguini transeunti, ac proinde ab illo vibratur.

Quomodo Venæ transmittunt Sanguinem?

Ex viâ angustiore in latiorem motu lentiore, & magis transeunti sanguini se accommodant, ideoque cum violentiâ non expanduntur, quod ad pulsum requiritur.

Nonne Arteriæ pulsus sentitur in Diastole, sed non in Systole?

Arteriæ pulsus sentitur in suâ expansione (sive in suâ Diastole) ubi à digito recedit; unde Systolis celeritas mente & cum consideratione ad Diastolem, cognoscitur.

Quantus est pulsuum numerus spatio unius horæ, & da mihi rationem, quare non pulsus æquè multi habeantur?

Spatio unius horæ in homine sano ad minimum fiunt duo millia pulsuum, ut quivis illos numerando in se potest comperire.

Interim per animi pathemata, aliaque variè immutantur: Sic fiunt crebriores in iracundis, in

in lætis, in laborantibus, currentibus, &c. rariores in triſtibus, timentibus, &c. propter alium influxum ſpirituum animalium in Cor, aliamque ideo Sanguinis circulationem. In pueris pulſus eſt crebrior, quia Cor habent magis tenellum & irritabile, arterias etiam facilius dilatabiles, ſanguinemque tenuem & facilè rareſcibilem.

CAPUT VIII.

De Motu Cerebri.

QUid eſt motus Cerebri?

Motus Cerebri eſt motus ejus conſtans, Syſtole & Diaſtole alternatim factis, etiam ſecundum ſuam ſubſtantiam, & independenter à meningibus.

Quomodo probatur motus Cerebri?

Probatur quia ad illum motum relicta eſt notabilis ſubſtantia inter duram & piam matrem.

Quomodo ulterius probas illum motum?

Reſectâ Laminâ tum à cerebro tum à membranis ejus, adhuc patet ille motus ad oculum: Suadent etiam illum copia Sanguinis & Spirituum, quatuor ſimul arteriis ad cerebrum deducta, quæ non poteſt non corpus illud tam laxum elevare, ſed cum cordis eſt Syſtoles, cerebri eſt Diaſtoles, & è contra; ut patet unam manum applicando carpo infantis, alteram con-

curſui


cursui Suturarum in vertice, sic enim eodem tempore percipitur arteria (consequenter in cordis constrictione) cum cerebro pulsare.

Quomodo ergo Cerebrum habet Diastolem & quomodo Systolem?

Diastolem habet gratia Sanguinis & Spirituum, quantitatis tunc auctæ, & Systolem partim gratiâ ejusdem tunc iterum imminutæ, quâ tunc subsidet, partim gratiâ fibrosæ cerebri & piæ matris substantiæ, quæ irritatur, vigoratur & contrahitur.

Quis est usus expansionis sive diastoles Cerebri?

Ejus usus est perpetua quædam nervorum & musculorum à Spiritibus animalibus repletio.



CAPUT IX.

De generatione Spirituum.

QUomodo generantur Spiritus, estne actio naturalis & quomodo peragitur?

Spirituum generatio absolutè est naturalis, atque aliter non fit, quam particularum Sanguinis ad sese invicem allisione, & vehemente inter se motu, quo contingit hic & inde extantias abradi, atque Sanguinis aliqua fragmenta ita comminui, subtilisari atque poliri, ut jam reliquis in Corpore partibus, longe volatiliores, & ad omnem influxum aptiores, imo aliarum velut primum mobile habeantur.

Quænam

Quænam alimenti partes citius in Spiritus convertuntur?

Eæ ſcilicet partes quæ de ſe præviæ in Spirituum figuram & agilitatem magis acceſſere, ut ſunt aliquæ in Spiritu vini.

CAPUT X.

De Reſpiratione.

QUid eſt Reſpiratio?

Reſpiratio eſt motus, quo Aër alternis vicibus in pulmones impellitur, iterumque expellitur.

Quot partes habet reſpiratio?

Duas partes: inſpirationem & exſpirationem.

Quomodo & quibus inſtrumentis fit inſpiratio?

Inſpiratio partim fit Thoracis dilatatione, quâ Aër Thoraci vicinus repellitur, iſque alium protrudit (nam omnia in hoc univerſo ſunt plena corporibus, non datur naturaliter eorum inter ſe penetratio) donec tandem aliquis recipiatur per os & nares in pulmones, iiſque mediantibus locum repleat à Thorace dilatatô, derelictum, partim fit Aëris vi elaſticâ, ſeu nixu ſuo ſpontaneo ad expanſionem, partim denique preſſione, quam habet ab incumbentis Atmoſpheræ pondere, tales enim ob cauſas in veſicularem pulmonum Subſtantiam impellitur, non autem ob fictitiam fugam vacui.

Quomodo, & quibus inſtrumentis fit exſpiratio?

Fit Thoracis & pulmonum Conſtrictione, tunc

Aëris in pulmonibus incaleſcentia & rarefacti-one quâ partes Aëris ſeſe mutuò expellunt defe-ctu loci ſufficientis.

Exſpiratio non fit à Diaphragmate, pulmonibus vel Sanguine, nonne concurrunt tamen pulmones ad exſpi-rationem?

Diaphragma ſecundum ſuam partem anticam inſpiratione in Thoracem aſcendit, ſecundum poſticam autem à repletis Aëris pulmonibus de-primitur in abdomen unâ cum viſceribus ipſi ſubjectis: Contrarium habetur in exſpiratione.

An Aër inſpiratus ſtatim totus exſpiratur? & unde venit?

Aër, qui jam primò inſpiratur non præcisè to-tus proximâ exſpiratione exſpiratur, ſed ex illo quid in aliquibus pulmonum veſiculis reſtare po-teſt; quod tantum ſecundâ exſpiratione elide-tur: ſicut ab inſpiratione ſecundâ poteſt quid remanere pro exſpiratione tertiâ & ſic ulterius.

Nonne cum Aëre exſpiratur aquoſitas quædam?

Quanta aquoſitas cum Aëre exſpiretur videre eſt ad vitrum vel ſpeculum, in quod hyemali tempore halitus impingit, & ſtatim vapor con-denſatur in guttas, vel ubi in liberum Aërem hyemali tempore exſpiratur.

Unde venit præcipue illa aquoſitas?

Maximè ea venit ex vaporibus in thorace & pulmonibus exiſtentibus, nam illi in pulmones reſumi poſſunt; ut & Sanguinem in Thoracis cavum extravaſatum videmus in pulmones ſe in-ſinuare & per os exſpui.

An poteſt è contrario Aër inſpiratus per pulmones per-venire in cavitatem Thoracis?

Minimè, ratio eſt quod minima iſta foraminu-

la,

la, quæ habet membrana pulmonum, tranſitum quidem dant á cavitate Thoracis ad pulmones, non tamen è contra, idque propter obliquam ſuam inter lamellas membranæ pulmonum Conſtitionem, quâ valvulas emulatur, ut videmus contingere circa orificia uretherum, quæ ad veſicam poſſunt tranſmittere & non ex illá emittere urinam.

Thorace & pulmone læſis, nonne reſpiratur?

Perfoſſo uno Thoracis latere, aut abſumpto uno pulmonis lobo adhuc aliquatenùs fit reſpiratio, quia equidem Aër aliquis in pulmones per os & nares protrudi adhuc poteſt.

Eſtne reſpiratio perſe actio Spontanea, an Vero voluntaria.

Reſpiratio eſt per ſe actio Spontanea, quia nobis etiam invitis & neſcientibus peragitur, eſt tamen voluntaria quo ad modum, quia illam accelerare vel retardare poſſumus pro lubitu, quodque hoc poſſumus, eſt, quia motus Thoracis ordinariè partim fit ab influxu Spirituum voluntario, ſcilicet eo qui fit per nervos aliquos ex ſpinali medullâ venientes, alias in quantum ille motus fit à ſpiritibus per nervos Paris Vagi ex Cerebello effluentibus, quorum influxus non fit ad imperium animæ, eatenus reſpiratio eſt involuntaria. Intelligi, hoc non obſtante, poteſt, quomodo tam ordinatè fiant inſpiratio & exſpiratio, ſcilicet quia in inſpiratione vel exſpiratione diutius ipſæ partes aliquæ ſucceſſivè irritatæ, Spiritus moleſto fibram nervoſarum motu ſucceſſivè per nervos ſaltem paris Vagi, in ſe ex cerebello revocant, & ſic contractæ ſucceſſivè inſpirationem & exſpirationem procurant. Irritari autem

in inſpiratione Muſculos intercoſtales, Diaphragma & alios exſpirationi inſervientes, dum diutius à ſuis Antagoniſtis elongantur: item etiam tum ſic irritari pulmones dum Sanguis defectu novi Aëris non ſatis refrigeratus in illis turget, nimiſque eos expandit: Et è contra, in exſpiratione ſic irritari partes inſervientes inſpirationi, non dubito.

Quis eſt finis reſpirationis?

Finis præcipuus reſpirationis eſt VOX, ad cujus formationem Aëre opus fuit, item fuliginum, ſive aduſtarum quarundam particularum (quæ non poſſunt à Colore noſtro non gigni) ex Sanguine excretio, aliqualis Sanguinis refrigeratio, & particularum odoriferarum ad nares deductio.

Quantum ad fuligines; illi continuò per arteriam pulmonalem cum Sanguine ad bronchia pulmonis veniunt, & expirantur, alias calorem obruerent.

Quantum ad Sanguinis refrigerationem; Docetur hic: Quâ ratione Aër inſpiratus refrigeret, & ex eo, cur non omnis Aër reſpirationi aptus ſit, ſcio quidem quod velint alii reſpirationem non eſſe ad Sanguinis refrigerium, ſed ad flammulæ noſtræ vitalis, in Sanguine reſidentis, ventilationem & excitationem, idque multis argumentis voluerunt adſtruere, ſed res in idem redit, ſiquidem quam volumus refrigerationem, ea non eſt talis ut calorem deſtruat, ſed illum ædificet, nam reſpirationis defectu Sanguis ſuum calorem perderet.

Cur acceleratur reſpiratio in Febribus?

Dum enim in pulmones ex dextro cordis ven-

tricuio, & in totum reliquum Corpus ex ſiniſtro effuſus, nimium & pluſquam febriliter rareſceret & diſſolutus eſſet, totus ferè in fumos & fuligines abiret, ignemque ſuum non ſatis conſervaret, ut ſolet illum ramoſis ſuis concludere, & intricare, dum naturalem habet conſiſtentiam, & ſic citius interiret calor, aut ſaltem hoc fieret, quia Sanguis in arteria pulmonali nimium rarefactus, & ſuâ turgeſcentiâ quaquaverſum per illam motus clauderet poſt ſe valvulas ventriculi dextri, & ſic in illo Sanguinem & fuligines detinendo, proprii caloris ſuffocationis origo foret, *Hocque puto fieri in illis qui laqueo moriuntur,* quamvis partialis eorum interitus cauſa, poſſit eſſe defectus influxus Spirituum animalium in cor, ob compreſſos nervos Paris Vagi, & arterias carotides occluſas.

Nonne illi qui non liberè reſpirant, facile fiunt Pthyſici?

Quibus pulmones liberè non moventur, *ut gibboſis & alatis*, ut vocant, facilè fiunt Pthyſici, eò quod pulmones eorum non ſatis liberè dilatati & conſtricti ſe benè tum à Sanguinis tranſeuntis fuliginibus, tum aliis particulis acribus & craſſioribus expurgare nequeunt, unde illorum fit obſtructio, tandemque corruptio & eroſio.

An fœtus reſpirat in utero materno?

Quod fœtus non reſpirat in utero, certum eſt, & multis probatur argumentis.

Cur ergo, ſi fœtus in utero non reſpiret, ſimul ac natus eſt, tantoperè ad reſpirationom teneatur?

Hoc fit, quia ob motus fœtus in partu, ejus Sanguis multo celerius circulatur, & in pulmonibus rareſcit, deinde quia Aër ambiens interea


vi ſuâ elaſticâ aut preſſione ab atmoſphera ſtatim ſe inſinuat in pulmones, unde illi irritantur, & irritantium expulſionem propriâ & Thoracis contractione moliuntur eumque auctis jam dictis cauſis continuò increſcat irritatio, ſic & reſpiratio, ejuſque neceſſitates indeſinenter augentur.

Quomodo Urinatores ſe habent ſub aquis?

Urinatores ſub aquis notabili tempore poſſunt remanere ſine reſpiratione, idque quia ante copioſo Aëre ſe adimplere cognôrunt, & quia calor ipſis minor eſt. Aliquibus dicuntur reſpirare, & ſcire, certâ manus aut alterius inſtrumenti ad os applicatione, Aërem ab aqua ſeparare.

Quomodo ſe habent mulieres hyſtericæ, dum non videntur reſpirare?

Mulieres hyſtericæ narrantur ſubinde diu vivere abſque reſpiratione; puto tamen illas ſufficienter ad languidum ſuum calorem, quamvis adſtantibus inadvertibiliter, reſpirare, aut ſaltem aërem ſponte ſuâ earum ingredi egredique pulmones, hocque ipſis ſufficere.




CAPUT XI.

De motu periſtaltico ventriculi & inteſtinorum.

Quid eſt motus periſtalticus?

Motus periſtalticus, &c. eſt motus vermicularis quo ventriculus & inteſtina ab initio uſque ad finem continuò & ſucceſſive coarctantur, & inſtar vermium inter ſe repunt. Motus ille ali-

aliquando invertitur & tunc dicitur Epistalticus, quod fit à Spiritibus impetuosius in Fibras influentibus, vel Fibris compressis, Spiritus quasi per illas regurgitant, & motum suum invertendo vomitum faciunt.



CAPUT XII.

De Nutritione.

Q*Uid est Nutritio?*
Est conversio alimenti in substantiam viventis, qua vivens secundum omnes suas partes integrales proportione servatâ eandem servat quantitatem: sive Nutritio est Naturalis partium defluxarum restauratio.

Nutritio non fit per attractionem nec per succum aliquem è nervis venientem, sed magis per Chylum.

De accretione in junioribus.

De decretione in senioribus.

De generatione, &c. omittemus: De iis enim quædam diximus in superioribus.

Finis Partis Phisiologicæ.



FUNDAMENTORUM
MEDICINÆ
PARS SECUNDA,
SIVE
HYGIEINE.

CAPUT I.

De Rebus non Naturalibus in Genere.



UID est Hygieine?

Ars tuendæ Sanitatis.

Quot habet munera?

Tria. 1. Sanitatem præsentem conservandi. 2. Morbos præcavendi. 3. Vitam ad Longævitatem disponendi.

Quænam dicuntur res non Naturales?

Quæ ad Valetudinem conservandam quidem necessariæ sunt, sed eam lædunt, quando malè adhibentur vel vitiatæ sunt.

Quales

Quales ſunt res non Naturales, & quot ſunt?

Sunt ſex. Aër, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigiliæ, Excreta & Retenta, & animi Pathemata.

Suntne res non Naturales indifferentes ad lædendum vel benefaciendum?

Imo ſunt; prout benè vel malè adhibentur, & mediæ quodammodo ſunt inter Res *ſecundum Naturam, & contra Naturam.*

Quomodo Res contrà Naturam poteſt eſſe ſecundum Naturam ſub diverſâ conſideratione?

Res illæ ſub eodem ſenſu habent ſe ut repugnantes: ſub diverſæ vero conſideratione res ſecundum Naturam eſſe poteſt contra Naturam, v. g. motus Animalis eſt res ſecundum Naturam, quatenus Corpus humanum illum motum habet à Natura: Et (*contra Naturam*) non Naturalis, quatenus ſpectatur, prout benè eſt uſurpatus, &c.

Quid intelligis per malè adhiberi, prout hic, & unde profluit?


Per malè adhiberi prout hic, intelligi debet de adhibitione *reſpectu vario* hujus & illius perſonæ; aliàs quod malè eſt adhibitum uni, rectè adminiſtratur alteri, prout Natura & Conſuetudo in diverſis variant, quibus in uſu rerum non Naturalium Multum debet tribui.

Quinimo poteſt eadem res jam adhiberi benè, alio vero tempore male; unde ex diverſis Capitibus rerum harum mala eſt adhibitio, v. g. Ex hoc, quod peccent in quantitate nimis magnâ vel parvâ: quod peccent in qualitate, hoc eſt, Calore, Frigore, Humiditate vel Siccitate, vel nimia Craſſitie, Tenuitate, Viſcoſitate, Aciditate, Salſedine, Duritie, &c. vel Aſſumptionis tempore, v. g. dum indebito tempore comeditur vel

vel bibitur: vel in aſſumptionis ordine, dum hic vel ille cibus primo vel ultimo loco aſſumitur, &c. prout melius intelligetur, ubi de ſingulis rebus non naturalibus hic nominatis agemus.

Quomodo res non Naturales vocantur neceſſariæ?

Secundum genera, non ſecundum ſpecies: ſic cibus in genere eſt neceſſarius, ſed non præcisè talis vel talis. Quam vero res non naturales ſint neceſſariæ, ex iis, quæ jam de ſingulis dicemus, patebit ſatis.



CAPUT II.

De Aëre.

QUomodo hic conſideramus Aërem?

Aërem nos hic conſideramus non perſe ſolum & ſimpliciter, ſed prout nos ambit, hoc eſt, prout varia corpuſcula ſibi admixta habet, iiſque nos poteſt afficere.

Quotuplici modo afficit corpora noſtra?

Duplici modo extrinſecè & intrinſecè, & utroque modo iterum diverſimodè ſive per ſe, ſive per admixta diverſus eſt.

An Aër propriæ ſuæ ſubſtantiæ corruptione poteſt nos afficere?

Si Aër multum aquæ admixtum habet, multum nos humectat.

Si Aër Ætherem ſubtilem validius motum admixtum habet, nos multum calefaciet.

Si quædam narcotica admixta habet, ut in quibuſdam locis contingit, torpore, imo etiam Lethali ſomno, & citatâ morte nos afficiet. Si contagio peſtilentiali imbutus ſit, peſtem nobis inferet.

Nonne

Nonne Aër magis continuo & firmius nos afficit quam Cibus?

Cum diversus sit utriusque efficiendi modus, non potest hoc ita exactè judicari, certum tamen est, nos ab utroque maximè affici, & quidem magis continuò & perenniter ab Aëre, quam ab Alimento: vix enim uno aliove momento sine Aëre subsistere possumus.

Quid Aër facit in nobis?

Attemperat calorem Sanguinis nostri, & absque Aëre citò suffocaremur.

Quis Aër magis sanitati nostræ convenit?

Aër purus & lympidus, ventis salubribus perflatus, non infectus malis, cadaveribus, cloacis, aliisque putridis & corruptis vaporibus & exhalationibus.

Nonne ætates diversæ, & diversi temperamenti diversam requirunt Aëris temperiem?

Corpori temperato sit temperatus, intemperato frigido valet Aër calidus & sic è contra.

Nonne sub Aëre comprehenduntur venti & regiones & astra, & eorum species, effectus in humano corpore, nonne etiam anni tempora?

Imo vero.

Quid est Ventus?

Ventus nihil aliud est quam Aër una cum exhalationibus & vaporibus ipsi inhærentibus, circa terram agitatus.

Quem usum Ventus habet?

Aërem, qui alias minus movetur, à putredine præservat, hinc & inde inquinamenta Aëri commixta, dissipat.

Quot Ventos numerant nautæ in Pyxide suâ?

Ali-

Aliqui numeraverunt XXIV. alii XVI. alii XII. vulgo tamen numerantur XXXII.

Quot sunt præcipui venti dicti Cardinales?

Sunt quatuor. 1. Septentrionalis (North) qui nostris in regionibus est frigidus & siccus. 2. Australis (South) qui est Calidus & Humidus. 3. Orientalis (East) qui calidus est & siccus. 4. Occideutalis (West) qui frigidus est & humidus.

Quid dicis de salubritate ventorum?

Ventus Australis insaluberrimus est, quippe sensuum torporem inducit, omnes actiones & partes gravat.

Hunc sequitur apud nos in malitiæ gradu Septentrionalis, postea Occidentalis.

Quid de Orientali vento?

Orientalis, manè spirans purior nobis tunc est, eò quod spiret tunc è loco, ubi Sol est. Atque idem est de occidentali, si flet vesperi.

Quid est Regio?

Regio est pars terræ in qua ob magis rectam vel obliquam radiorum solarium demissionem valde notabilis est in primis qualitatibus discrepantia.

Quot sunt regiones?

Præcipuè sunt quinque scilicet. 1. Æquinoctialis regio, sita sub Zodiaco. 2. Septentrionalis, in quâ nos degimus, subjacens spatio inter circulum Cancri & Polum Arcticum. 3. Meridiana, spatio inter circulum Capricorni & polum Antarcticum. 4. Orientalis regio. Deinde & 5. Occidentalis.

Quas mutationes Aër habet ab astris?

Astra suas mutationes habent à Sole, præsertim

tim in Solſtitiis & à Lunâ: lege libellum de imperio ſolis & lunæ à Clariſſ. D. *Mead*, M. D. eleganter conſcriptum.

Quomodò Aër mutatur in Vere, Autumno, Æſtate, & Hyeme?

In Vere, Aërem notabiliter mutari obſervamus, eò quod Sol radiis ſuis terram noſtram magis directe proſpicere incipiat, & quia Aëri Principia quædam activa, Calore ſolis, quæ toto Hyemali tempore in terræ gremio jacuere ſopita, communicantur, occaſione quorum ſimul efferveſcendo Aër multa in fragmenta cogitur, ſicut graduato Solis calore magis & magis attenuatus, pro motu majore, egeat ſpatio ampliore rectius radiis ſolaribus oppugnamur, eò Aër magis elevatur.

Quid præterea facit hic Aër vernalis?

Aër hic multâ materiâ ſubtili, aliiſque variis particulis imprægnatus, inſpiratus & ambiens celeriorem Sanguini motum inducit, & Sanguini craſſiori plus præbendo materiæ ſubtilis, cum in fluorem concitat, quo ad omnes actiones melius peragendas, homines redduntur alacriores.

Quid ultra Aër vernalis?

Si factæ ſint tempore Hyemali Obſtructiones, majore intus Sanguinis efferveſcentiâ reſolvuntur; materia obſtruens & obſtructa rurſus Sanguini commiſcentur & prout maſſa Sanguinis iis depravata eſt, febres periodicas alioſque malos affectus inducunt.

Nota primò. Hæc facilè intelligemus, ſi Aëris intemperiem nunc calidiorem, nunc frigidiorem conſideremus: Sanguis nunc magis nunc minus efferveſcit, & ob inconcinnos ejus motus, coagulationes & Obſtructiones ſæpe inducuntur.

Nota

Nota ſecundò. In Martio Aër ſaluberrimus: in Aprili & Maio, quo magis ad *æſtatis* principium, eo Aër temperatior, & humorum Oecanomia in Corpore eſt perfectior.

Nota tertiò. In Julio & Auguſto Aër calore nimio excedit, ideo inſalubris, nam Sanguini Heterogenea tum ex Aëre & tum è Terrâ corruptelas ſuppeditando, regularis humorum unionis vincula deſtruuntur, & à compedibus, nempe ſubtilioribus partibus, quæ maxime ad animalem Oeconomiam faciebant, jam reſolutæ, inſenſibili tranſpiratione privatur Sanguis, & tandem illarum abſentiâ contaminatur.

Nota quartò. Tempore autumni homines febribus, aliiſque affectibus laborant, nam in Auguſto Sanguinis effervеſcentia perſeverabat, accedente vero Septembri, ob multum Aëris frigus, ſubito humores incraſſans, obſtructiones variæ, & febres malignæ oboriuntur, eo quod pregreſſis temporibus Sanguis Spiritibus ſuit ſpoliatus. Hinc addi poſſunt fructus quilibet crudè devorati, quorum ſuccus frigore nocens à fermento Stomachali in ventriculo, vel acido in Sanguine digeri nequit, ſed illud corrumpit potius, quam ob rem autumno febribus, fluxibus alvi, &c. afficiuntur homines.

(Æ S T A S.)

Et illo magis, ſi æſtas calore nimio & fructuum horariorum magnâ copiâ exceſſerat.

(H I E M S.)

Hiems Aëris frigore ſucceſſivo humorum effervеſcentiam non ſupprimit, ſed ſufficiens quâ omnes

nes actiones bene imo perfectius peraguntur: humorum enim transpiratio ob majorem Aëris dimissi corpus ambientis pressionem minor est, sed intus detenti massam fluidiorem & ad effervescentiam aptiorem reddunt.

Fermentumque Stamachale acrius & abundantius est, ideo assumpta duriora probè chylificantur.

Senibus & decrepitis ob debilem calorem incongrua, junioribus & sæpè Cachecticis salubris est.

CAPUT III.

De Cibo & Potu.

QUid est Cibus?

Cibus est alimentum solidius, crassiusque potissimum ad famem tollendam.

Quare dicis potissimum?

Quia cibus aliquis tenuior potest etiam nonnihil levare sitim, sicut & potus crassior sedare famem. Quanta sit horum utriusque necessitas, item quam facile ab illis lædamur, nemini ignotum est.

Suntne ciborum variæ differentiæ?

Sunt, nam cibus est vel boni vel mali succi, vel facilioris vel difficilioris digestionis, multum vel parum nutriens.

Quis est optimus cibus, & quis pessimus?

Optimus est, qui est boni succi, facilis digestionis, ac excrementis minime refertus; atque è contra se habens est pessimus.

Quis

Quis eſt optimus panis, quænam ſunt ejus differentiæ?

Optimus panis eſt qui fit ex tritico laudabili, rite antea fermentato: quatuor ſunt ſpecies panis. 1. Siligineus. 2. Similagineus. 3. Furfuraceus. 4. Eſt panis qui ex ſecali fit; iſque durior eſt & ater, ventriculum gravans.

Quænam eſt optima Caro?

Ex quadrupedibus, optima eſt vitulina, poſtea vervecina & hœdina. Ex volatilibus præſtant pulli, capones, columbi & perdices.

Qui ſunt boni Piſces?

Ex marino piſce, Aſellus, Lingulaca: ex fluviatico, Perca, Globius & Lucius.

Ex iis quæ ex animalibus proveniunt, ſunt Ova & Lac, ex fructibus, Uvæ & Ficus.

NOTANDUM ex præcedentibus.

Quod non omni homini promiſcuè cibi illi jam recitati optimi ſint atque ſaluberrimi, neque ullus revera cuique convenit.

Sed quilibet cibus ad quemque ſeorſim conſiderandus eſt an conveniat nec ne: nam illis qui Stomacho valent, aut multum laborant (ut ruſtico, militi, nautæ, &c.) melior eſt caro Bubula & Porcina, quia ſolidiore & craſſiore illi egent Sanguine, qui multum nutrit, neque adeo facile abſumitur.

De piſcibus in ſuperioribus locuti fuimus, qualis conſiſtentiæ Sanguinem præbent Piſces?

Quamvis multis ſint ſuſpecti Piſces, bonum tamen & mediocris conſiſtentiæ præbent Sanguinem: illi levioris ſunt digeſtionis, ſaltem Piſces

 ſaxa-

ſaxatiles, ac proinde conducunt illis, quibus pituita vel ſerum in toto, vel aliquâ Corporis parte abundat.

Quo quæſo ordine cibi ſunt ſumendi?

Craſſiores cibi ſemper apud nos præmittuntur, eò quod illi promptius acido, ventriculi fundum magis occupante, imbunantur, & difficilioris ſint digeſtionis. Quod ad me; ego ſane puto omnium aſſumptorum confuſionem fieri in Stomacho, neque ordinem aſſumptionis dudum in illo contineri.

Quandonam comedendum eſt?

Quando fames urget, & vacuus eſt Stomachus. Notandum, quod aliqui fame laborant etiam Stomacho pleno, ob nimiam acidi vel quantitatem vel acrimoniam, quæ fames non eſt Naturalis, adeoque non cibis ſed medicaminibus eſt reprimenda.

Quoties in die edendum?

Hoc generatim dici nequit. Bilioſi quia exactius urgentur fame, & aridiores ſunt, ſæpius, puta ter quaterve in die, ſed modicè comedere poterunt: Pituitoſi ſemel, quia ferunt jejunium facilius, neque tantum abſumunt Sanguinis: Melancholici bis terve ob eorum aciditatem: Sanguinei medium teneant.

Quantum comedendum?

Tantum ut fames ſedetur abſque ventriculi aggravatione: varianda ciborum quantitas pro Corporis conſtitutione, robore & ætate: alia convenit quantitas ætati floridæ, alia ſenili, alia homini debili, alia forti, alia ſano, alia ægro: alia bilioſo, alia pituitoſo; alia corpus, alia mentem tantum exercenti.

Præſtat nonnihil amplius quam nimis parcè come-

comedere, ac proinde aliquid voluptati & saporis gratitudini potius, quam necessitati & veræ fami concedere. Prodest etiam quod Celsus in præceptis dat tanquam arcanum tuendæ valitudinis & vitæ prolongandæ: ut quis contraria alternet & subinde mutet: sed cum inclinatione in extremum benignius: nempe victu uti parciore & pleniore, sed pleniore sæpius.

Sic enim paulatim se ventriculus assuefacit, ut ad minores aliquando excessus non ita graviter afficiatur, sed plusculum etiam concoquat.

Qualis pro diversis Constitutionibus debet esse cibi qualitas?

Qualitas ciborum alteranda est pro diversitate temperiei, ætatis, temporis & consuetudinis: sic calidioribus & siccioribus frigidiores & humidiores expediunt cibi: sic puero molliores quam juvenibus & viris: sic æstate frigidiores quam hyeme: sic denique firmioribus cibis assuetis, magis hi, quam flaccidi, conveniunt.

Cibi elixi facilius chylificantur quam assi, sunt enim molliores: assi vero plus nutriunt, quia succo nutritivo magis scatent, ut patet, si cultro perforentur, habet enim ille cibus crustam sibi extrinsecam, humiditatem eorum intus conservantem, quæ in elixorum jusculis dispersa est, ideoque assa magis conveniunt laborantibus, elixa vero otiosis. Cæterum an melior sit Chylificatio de die, quam de nocte, ac proinde an expediat cœnâ prandium liberalius esse: item an cibus dissolutus ordine assumptionis ventriculum deserat, item cur à pastu frigeamus, &c. videri potest, ubi Chylificatio explicata est.

N. B. Examinandum caput de Chylificatione, quæ tractatur in Phisiologia Part 1. Cap. 8.

Quid est potus?

Potus est alimentum tenuius liquidiusque ad sitim tollendam.

Enumera mihi aliqua potus genera?

Potissima potus genera sunt Aqua, Vinum, Mulsa, & Cerevisia.

An Aqua nutrit?

Nutrit: aqua non est simplex alimentum: nam multi homines solis aquis pro potu vivunt mediocriter benè, & post eam potam refecti apparent.

Adde quod solam aquam nutrire, imo & augere pisces in lagenâ contentos experientiâ compertum sit, sicut etiam aquas nutrire plantam fructumque ex eo liquet, quod ipsa terra cui insertæ sunt aliquando multo graviores deprehenduntur.

Quænam aquarum species eligendæ sunt?

Multæ sane sunt aquæ species, sed optima est aqua fontana, quæ limpida est & dulcis, sine ullo sapore & colore aëri similis. Aliqui bonitatem aquæ à levitate desumunt, sed ea non est intelligenda de levitate ad lancem: nam sæpe aqua non bona minus pendet aliâ melioris notæ. Ea levior aqua est quæ ventriculo & visceribus grata est, vid. *D. Martin Lister* & aliquos Authores qui de Aquis ex professo scripserunt.

Quid est Vinum, quæ sunt ejus genera, & quos habet effectus?

Vinum est succus ex Uvis expressus. Differentiæ vini variæ sunt, eæque differunt quoad calorem, saporem, & odorem, crassitiem, tenuitatem & ætatem.

Vinum

Vinum eſt calidum & ſiccum, niſi ſit immaturum, ut Omphacium, tale enim eſt frigidum.

Optimum vinum eſt, quod ſaporis non eſt adeo auſteri & dulcis, ſed medium quodammodo.

Vinum dulce multum ſolet nutrire, pectori amicum eſt, ſed bileſcit facilè.

Auſterum è contra pectori inimicum eſt multumque aſtringit.

Fragrans vinum mirificè recreat ſpiritus, poſtea tamen caput gravat.

Vinum rubrum roborat Stomachum aliaſque partes, & laudabilem conficit ſanguinem fœculentum, craſſum, ſed Vinum, rubrum ſi ſit, Sanguinem generat, magis nutrit, ſed obſtruit. Vinum tenuius craſſo magis aperit, citius vias ſuas percurrit, ſed non ita nutrit.

Vinum recens ſive muſta minus calidum eſt quam antiquum, ſed flatus generat, niſi alvum laxet.

Vinum antiquum magis caput turbat. Vinum Rhenanum ob ſummam ſuam tenuitatem & præ aliis cruditatem, humores facile in fluxum concitat, ac à maſſa ſeparat, atque hinc Arthritidem producit.

Quid eſt Cereviſia, quæ ejus ſpecies & affectus?

Cereviſia fit ex aqua, tritico, & lupulo ſimul coctis. Additur Lupulus quia Cereviſiam conſervat & ſanguinem purificat, ac pro diverſa ejus quantitate, cereviſia amara eſt vel non amara.

Cerevisia salubrior est, quæ est debitè cocta & purificata; non bene defœcata enim obstructiones parit & tormina creat.

Cerevisia alia est fortior, alia minus fortis, prout plus vel minus tritici in se habet: ita alia rubra, alia alba, pro diuturniore vel minus diuturniore coctione.

Quid est Mulsa vel Hydromel?

Mulsa vel Hydromel fit ex aqua & melle; alia multum mellis habet, alia parum. Item alia cocta est & despumata, alia facta per insolationem tantum, eaque crudior est & obstructiones inferens: cocta vero grata est pectori & deobstruit.

Quid est Sydra, seu Vinum Pomaceum?

Fit ex succo Pomorum vel Pyrorum, acidorum vel dulcium, prælo expressa, & postmodum, uti vinum, fermentatur & defœcatur.

Hic potus frigidus est, sed calidior si ex dulci fructu componatur. Gratus quidem est, sed flatulentus & caput ferit.

Quantum & quomodo potandum?

Hisce præmissis dico tantum posse & debere potari, quantum ad cibos comestos humectandos sufficit: cibus aridus enim non tam dissolvitur, quia acidum stomachale illum non bene subit.

E contra, ubi plus potatum, ibi acidum nimis diluitur, enervatur & cum potu ventriculum & cibos deserit, & subintrat intestina, cibus etiam in ventriculo fluctuat, & sic ejus dissolutio turbatur.

Præstat autem inter comedendum aliquoties & parum bibere, quam ad finem mensæ (uti non-

nullis

nullis mos eſt) uno vel duobus hauſtibus potum ſumere, ſic enim melius alimentis commiſcetur, & juvatur comeſtio.

Non autem tam rigoroſè cum aliquibus obſervari volo, ne potus cibo præmittatur, præcipuè ubi ventriculus eſt aridus, nam potus ille cum alimentis ſtatim confunditur æquè benè, ac ſi poſt aliqualem comeſtionem ingeſtus foret. Bibere tamen ante comeſtionem non eſt bonum: quia eatenus acidum è ventriculo eluitur, antequam ad illum cibus advenit.

Potatio à prandio à multis improbatur, ſed abſtinentia ejus à paucis obſervatur.

Certum equidem eſt potationem à prandio Chylificationem turbare, atque acidum, jam partes chyli diſcerpendo occupatum, abluere.

Licet tamen nonnihil à prandio bibere, ſi digeſtio jam integrè vel ferè abſoluta eſt, & præſertim ſi ſitis multum vexet.

An pejor eſt exceſſus in cibo quam in potu?

Reſpondeo, damnoſius eſſe in cibo excedere, ſiquidem ille fibras ventriculi diuturnâ expanſione ita laxat, ut cibos poſtea non complectatur, præterquam etiam quod majorem cruditatem poſt ſe relinquat, unde poſtea obſtructiones, vitiatæ concoctiones, &c. Potus vero damnis; quatenus, citius ſuas vias percurrit, citius poteſt occurri, & foras mandatur.

CAPUT IV.

De Somno & Vigilia.

QUid eſt Somnus?

Somnus eſt ſenſuum externorum ordinaria & proxima indiſpoſitio.

Cur additur in definitione ordinaria?

Ut excludatur Apoplexia, Lethargus, &c.

Quænam eſt cauſa Somni?

Eſt remiſſio & ſubſidentia fibrillarum quibus cerebrum magnâ parte extruitur, ſic ut tunc motus impreſſi quinque ſenſuum externorum organis non poſſit debitè propagari ad animæ ſedem, ac ibidem cognoſci, eo modo, quo motum impreſſum cordæ flaccide tenſæ non videmus tam promptè promoveri, quam ſi corda rigidè tenſa foret.

Quænam eſt cauſa Somni, & unde oritur?

Oritur ex eo, quod Spiritus animales ſive ſui defectu, ſive torpore aut fixatione, non ſatis inflent & expandant illos tubulos. Sic ſecundum hoc, poſt labores inclinamur ad ſomnum (niſi Spiritus ſunt acriores) ob Spirituum defectum.

Pariter poſt opii aut aliorum narcoticorum aſſumptionem, quia talia volatili ſuâ oleoſitate Spiritus capiunt figuntque.

Denique poſt menſam vel potum ſolemus ſomno eſſe dediti, quia tunc augetur cerebri humiditas, quæ fibrillas relaxat, fortè etiam quia vapores ſpiritus nonnihil impediunt.

Sunt

Sunt tamen aliqui, qui dum multum potârunt (nisi vinum Narcotici aliquid contineat) ægrè dormiunt, quia Spiritus scilicet calore potius accenduntur & fervidiores fiunt.

Somni ad vitæ nostræ *necessitatem* vel ex eo patet, quod nemo sine illo vivat, siquidem recuperet Spiritus animales, qui per externorum sensuum operationem & motum animalem in vigiliis deperduntur, non quod in somno plures Spiritus (puto enim ob majorem sanguinis motum & cerebri tensionem & porositatem, plures generari in vigiliis) sed quod non tam multi in somno, ubi est sensuum & voluntarii motus absentia, dissipentur.

Debet tamen somnus esse moderatus, hoc est cujuslibet naturæ, & spirituum jacturæ accommodatus.

Quid somnus ille ordinarius, quem moderatum vocas, efficit?

Vires roborat, corpus humectat, & homines reddit alacres ad negotia peragenda. Nimius vero somnus Spiritus reddit torpidiores, cerebrum humectat & relaxat nimium, homines facit stupidos tardosque: Sicut è contra somnus nimis brevis homines ultra exsiccat, emaciat & debilitat.

Quod somnum nos humectare dixerim, nemo miretur, namque cum ob minorem influxum spirituum animalium in habitum corporis *tempore somni* partes omnes collapsæ sint ac inflatæ, ac proinde pori magis occlusi, etiam qui calor tempore somni minor est, hic tanta non fit humorum transpiratio.

Calo-

Calorem autem nobis minorem esse tempore somni, probatum à me est, ubi de calore naturali actum est; cæterum quod in somno, saltem perfecto spiritus animales non ità influant in habitum corporis quam in vigiliis, fit ex hoc, quod tunc soleant motus animales cessare, eò quod animam, ad spiritus versus musculos destinandos, nihil determinet, ac proinde tunc musculi totius habitus tantum irrigentur eâ proportione spirituum, quæ ex cerebro à recenter ibidem sequestratis, continuò exprimitur, & lentè in nervos ad eorum repletionem perpetuò promanat.

In vero somno qualiter se habet anima?

In verò somno anima debet velut nullius rei esse conscia & sopita quasi, hoc est nullas saltem facere operationes animales notabiles, & quod si aliquando somnium interveniat in eoque veluti intellectu discurramus & ratiocinemur, ut surgamus & ambulemus, aliaque faciamus ut noctambuli, interruptus & imperfectus est ille somnus, ideoque videmus homines ab eo non refectos, imo vix magis quam si vigilassent.

Volunt multi nunquam animæ omnem cognitionem deesse, dicentes; ejus essentiam in cogitatione consistere, ut sine illâ esse desinat, sed quod ea cogitatio sit debilior seu minus saltem nobis advertibilis, proinde, quod etiam tempore somni in Apoplexia, imo etiam in fœtu, semper aliquid cogitet, quod aliter non sit intelligibile quomodo ipsa à re corporea ad cogitandum determinetur, cum sic causa ignobilior produceret effectum nobiliorem.

Fiunt nihilominus inter dormiendum actiones vitales, hoc est: Motus Cordis, Respiratio, Motus

Perístal-

riſtalticus, Digeſtio, &c. quia ſimiles independenter ab animâ peraguntur, & maximè per Spiritus ex cerebello influentes, qui ab animâ non determinantur.

Quomodo capitur Somnus profundus & quietus?

Somnus profundus & quietus convenienter ſumitur de nocte in lecto molli pro gracilioribus & ſiccioribus, & in minus molli pro pinguioribus, & capite elevato magis vel demiſſo, prout magis vel minus corporis partes à tali vel tali decubitu afficiuntur.

An ſomnus diurnus adeo malus eſt ut aliqui putant?

Inhibent multi diurnum ſomnum, maximè illum qui à prandio fit, tanquam qui caput repleat & ſenſuum torporem inducat, puto tamen eum non eſſe malum adeo, præſertim in aſſuetis à prandio dormire, non ſic ſpiritus & vires, per labores & curas diſſipati, recolliguntur: imo jam mos invaluit apud plurimos *nobiliores* à meridie modicum ſomnum capere, & ex eo benè ſe habent. Et revera non apparet, cur ille pejus faceret, quam nocturnus, niſi quod dicamus, illum impedire nocturnum, ac eatenus moleſtiam & tædium de nocte parere.

Quamdiu indulgendum eſt Somno?

Tempus ſomni ordinarium eſt ſeptem horarum, illo enim digeſtio majore parte ſolet eſſe facta, & ad ſpirituum & humorum deperditionem chylus eſſe diſtributus.

Convenit aliis ſomnus longior, aliis brevior. Sic *Pueris*, quia multum ob cutis raritatem expirant,

piraut, etiam quia naturaliter valde humidi ſunt, ſomnus longior convenit, imo connaturalis eſt.

Longior ſomnus etiam convenit *Senibus* bilioſis & aridis, quia humectat & ſpiritus reſtituit: pituitoſis vero & obeſis brevior ſit. Longior etiam debet eſſe defatigatis.

Cui lateri inter dormiendum incumbendum eſt?

Multum conſuetudini eſt attribuendum.

Quid eſt vigilia?

Vigilia eſt proxima diſpoſitio ſenſuum externorum ad operandum, non dico quod ſit actio ſenſuum, quia puto quempiam poſſe actualiter vigilare, ſaltem pauco tempore, ſi eſſet incluſus antro, ubi nec videret, audiret, olfaceret, guſtaret, aut tangeret: aut ubi quis attentè aliquid cogitet; talis enim dormire non rectè diceretur: alias dicendum eſſet Vigiliam eſſe & ipſam ſenſuum externorum operationem, & ſomnum ejus ceſſationem.

Quænam eſt cauſa Vigiliarum?

Eſt debita tenſio fibrillarum cerebri facta à Spiritibus per illas fluentibus, ſic, ut motus externorum ſenſuum organis impreſſus poſſit facilè propagari ad ſedem animæ, ibidemque diſcerni, unde vigilant pertinaciter illi, qui Spiritus habent in cerebro nimis celeriter motos, ut in Febribus, Inedia, Phrenitide, ſive per ſe ſint nimis calidi, leves, vel acres, ſive aliquid illis commixtum eſt.

Quod mali immodicæ inferunt Vigiliæ?

Nimiæ vigiliæ humidum corporis diſſipando, extenuant & exſiccant, cruditates adferunt, cerebrumque debilitant.

CAPUT

CAPUT V.

De Motu & Quiete.

Quid hic per Motum intelligitur?

Motus hic eſt Labor & Exercitatio.

Quis motus eſt optimus?

Ambulatio, luſus pilæ, curſus, equitatio, eritque optimus ad ſudoris eruptionem. Talis enim calorem nativum excitat, omneſque corporis cruditates abſumit.

Quomodo ad motum halitus mutatur?

Mutatur ad hunc motum halitus imprimis quia Sanguis motu muſculorum celerius ex compreſſis vaſis ſuis ad cor urgetur, & ſic frequentiore per cor tranſitu magis incaleſcens ad reſpirationem frequentiorem irritat.

Deinde quia tam generoſus influxus Spirituum in *Nervos* huic motui inſervientes fieri non poteſt, quin & nonnihil acceleretur in nervos reſpiratorios, præſertim in eos *Paris Vagi*, & quod ad illud ob reſpirationis continuitatem ſpiritus in cerebro viam habent valde tritam, addito & hoc, quod nervus hic præ reliquis conſtet *initio* valde compoſito, ideoque Spiritus recipiat.

Quandonam motu utendum?

Optimum ad motum tempus eſt matutinum jejuno ſtomacho; ſic enim, ſi quid à prægreſſa digeſtione in ventriculo remanſit, illud abſumatur; aſt ſi fiat ſtomacho cibis non ſatis vacuo, ante tempus quo cibus ex ventriculo expulſus eſt;

eſt, humores vitiatos & obſtructiones adferet, *atque ex hoc Capite ſuſpectus eſt motus à prandio & jentaculo*, & generaliter ubi digeſtio non eſt abſoluta. Solebant tamen veteres maximè exerceri à prandio, ſed ii, contra ac nos facimus, lautè & multum cœnabant, paucè vero prandebant.

Nonne nocet motus nimius, an non convenit levis deambulatio poſt refectionem?

Imo vero, quapropter motus non ſit nimius, quia talis corpus exſiccat & debilitat, diſſipatque acidum ſtomachale. Poteſt nihilominus poſt refectionem levis fieri deambulatio, ut cibus in ſtomacho locum ſuum melius capiat.

Eſtne igitur motus neceſſarius?

Imo ſane, ex dictis enim patet motûs ad valetudinem neceſſitas, & ſi debitè non fiat, qualiter valetudini officiat.

Quies intempeſtiva, quid facit?

Vitioſos generat humores, corporis meatus recrementis infarcit, & actiones hebetat.

Quandonam quieſcendum?

Quieſcendum poſt defatigationem, & ubi Chylificationi necdum finis impoſitus eſt.

CAPUT

CAPUT VI.

De Excernendis & Continendis.

QUid intelligis per excernenda & retinenda?

Excernenda & retinenda, prout hic, ſunt fœces alvi, urina, inſenſibile tranſpiramentum, menſtruum & ſemen. Ea etenim juſto tempore & quantitate debitâ excreta ad ſanitatis conſervationem multum faciunt, alias ſanitatem offendunt.

Quid faciunt fœces alvi diutius retentæ, & quomodo debent ſeſe habere in ſtatu ſano?

Fœces alvi ſuo tempore non excretæ, dolores colicos, halituſque à ſtercoraceo ad ſtomachum & os evaporamento fœtorem procreant. In ſtatu naturali illæ ſunt utcunque molles, ſed cohærentes interim, color eſt ſubrufus, fœtor non nimis gravis, & quantitas aſſumptis cibis ferè æqualis.

Qualis eſt urina in ſtatu ſano, & quid efficit ſi diutius retineatur?

Urina, ubi debitè ſe habet eſt coloris fulvi, craſſitiei mediocris, ſine vel cum ſedimento, eoque albo, levi & æquali, & in quantitate proportionatâ aſſumpti liquidi. Urina diutius retenta, ſive Renum ſive Veſicæ vitio, ſive quod materia ejus non ſatis à ſanguine ſegregetur, infert hydropem, animi deliquia, affectus ſaporoſos, paralyſin.

Quid

Quid obvenit corpori nostro sine transpiratione insensibili? Quomodo fieri & quanta esse debet?

Insensibile transpiramentum nisi habeatur; cutis defœdatur, oritur pruritus (ut frequenter post variolas) scabies, hydrops, febres, &c. insensibilis autem perspiratio fit per poros cutis & per os. Valde autem multum nos indies per insensibilem transpirationem emittere patet ex inspectione halitus, hyemali tempore, ubi in exitu condensatur; item ex ejus elisione in speculum, quod numerosis statim guttis madescit: item si stanno nitido, vel alteri metallo polito digiti pulpam minimo tempore imponamus, mox etiam notabili humiditate inficietur: quod si fiat à tantillâ parte, & tam brevi tempore, quantum non putandum est evaporari ex toto corpore, unius diei spatio? Non apparet tamen tanta illa transpiratio, quam dicit Sanctorius per artem staticam se comperisse; vult enim solam insensibilem transpirationem nobis esse majorem, quam omnes sensiles simul sumptæ: N. B. nam si potus & cibus unius diei octo libris pendeat, dicit quod ex illis quinque insensibiliter avolent.

Item dicit urinam unius noctis solere esse octo plus minus unciarum, fœces alvi unciarum quatuor, insensibile vero transpiramentum unciarum ad minus quadraginta, atque ita tantum solere alicui evacuari unius diei spatio, quantum tempore quindecim dierum per alvum.

Quænam sunt quæ patiuntur menstrua? quo temporis intervallo? quantum & quamdiu quid contingat nimium vel non satis menstruatis?

Menstrua

Menſtrua fluere debent mulieribus, quæ jam annum decimum quartum egere, & quinquageſimum nondum tranſiverunt, niſi gravidæ ſint aut lactantes, in quibus menſtruorum cauſa ceſſat.

Fluere autem ſolet ſingulis præterpropter menſibus, v. g. vigeſimo ſecundo vel triceſimo quoque die, ejuſque quantitas debet proportionari ad ſanguinis copiam & calorem: ſiquidem certa quantitas limitari generaliter non poteſt, aliis enim emittitur multum, aliis parum.

Pariter neque omnes ad hunc fluxum æquale tempus impendunt, aliæ enim die ſecundo, aliæ die tertio vel quarto, aliæ denique ſexto & octavo abſolverunt.

Quibus nimis fluunt, debilitantur, patiuntur deliquia, contabeſcunt, &c.

Quibus ſupprimuntur, fiunt hyſtericæ, difficulter reſpirant, color ipſis vitiatur, appetitus depravatur, &c.

Quid parit Venus moderata vel immoderata? & qaibus magis convenit, & quando?

Exercetur commodiſſimè venus ab iis qui ſanguinolenti & habitus pleni ſunt, & quidem tempore matutino poſt ſomnum, & hæc ſanitati conducit: immoderata autem nervos, caput, & totum corpus emaciat & debilitat, ſpiritus diſſipat, & vitam mirabiliter abbreviat: ſed fiat à ſanguinolentis, &c. ut ſupra eſt dictum, etiam factâ digeſtione & diſtributione, tum enim ſemen laboratius eſt, & magis abundans.

CAPUT VII.

De Animi Affectionibus.

QUid intelligis per Animi affectiones, & cur sunt necessariæ, & quibus conveniunt?

Impetus illi seu motus animæ subinde obvenientes, quos animæ affectiones seu passiones, quæ conjunctam habent essentialiter certam in sanguine & spirituum in cerebro alterationem, eò quod anima per illas magis, quam per cogitationes sensitivas afficiatur, vocamus, multi sunt, aliqui tamen majores seu vehementius afficientes, alii leviores, corpori nostro ad vitam conservandam necessarii. Necessarium enim est & sanguinem non eodem semper modo moveri, sed modo magis, modo minus, tum ut sic vires & calor conserventur, vel recuperentur, vel vegetiores fiant, tum etiam ut motibus istis assueti non ita facilè ad majores vel minores sanguinis & spirituum motus lædamur.

Non quælibet tamen affectiones cuilibet bonæ sunt vel malæ; nam lætitia multum prodest melancholicis, quibus mali sunt timor & mœror.

Sic pituitosis irasci subinde bonum, ut sic debilis eorum calor corrigatur, biliosis autem nocet.

Unde nascuntur illæ affectiones animæ?

Nascuntur omnes potissimum ex apprehensione quâdam boni vel mali, præsentis vel futuri, occasio-

occaſione cujus ſpirituum è cerebro in nervos influxus, & ſanguinis aliarumque partium motus, variantur: ut ſuperius de Spiritibus, in Phyſiologia explicui.

Ex apprehenſione boni præſentis naſcuntur lætitia & invidia, & malevolentia: ex apprehenſione boni futuri ſpes, amor ira: ex apprehenſione mali præſentis mœror, triſtitia, miſericordia: ex apprehenſione mali futuri, metus, pudor & deſperatio.

Quænam ſunt præcipuæ animi affectiones?

Præcipuæ ſunt: lætitia, triſtitia, ira, amor, odium, invidia, ſpes, deſperatio.

Quid eſt lætitia, & quos effectus producit in corpore noſtro?

Lætitia eſt delectatio ob bonum quod credimus nos adeptos. Hæc præcipuè ad ſanitatem conducit, ſaltem ſi moderata ſit, ſiquidem in eam ſpiritus grato animo tum in cerebro, tum extra illud in nervos omnes proſiliunt, præſertim in nervos cordis & vaſorum conſtrictioni dicatos, quo ulterius fit, ut ſanguis grato motu per corpus propellatur, omneſque partes blando calore ſuffuſæ exultent quaſi.

Nimia vero *lætitia* mala eſt, imo ſubinde *enecavit*: nimium ſcilicet Spiritibus per eam in cordis fibras irruentibus; nam ſi cor diutius conſtrictum manet, ſanguinem in locum alterius ad Cor adventantem non admittit, & ſic cordis calor extinguitur, ſanguiſque ante cor coagulatur.

Aut quando Sanguis ex venis cum impetu, nimia quantitate, aut rareſcibilitate cordis ventriculos ſubit, eoſque præter modum dilatando,

ſpirituum influxum in nervos pro ejuſdem conſtrictione, ac proinde ſui expulſionem impedit.

Comprehendit hæc definitio non ſolum proprium ſui lætantis bonum, verum bonum vel malum alterius, quatenus illi ejuſmodi boni vel mali digno accidere gratum videre eſt: nec repugnat quempiam lætari opinione poſſeſſionis boni futuri: nam talis opinio tanquam bonum præſens exiſtimatur.

Quid eſt Triſtitia?

Triſtitia eſt dolor ob malum, quo credimus nos affici. In Triſtitia Spiritus tum in cerebro, tum in nervis debiliter moventur, quâ fit, quod etiam languidius in nervos cordis influant, illudque non ſatis vivaciter ad Sanguinis propulſionem conſtringatur.

Hinc ulterius à ſtagnante, aut ſegnius ſaltem moto circa cor ſanguine, pectoris gravitas & quaſi ſuffocatio, ſubinde *Mors*, ſanguine in vaſis ſuis coagulato. Hinc pulſus minor, corporis & præſertim faciei, aliarumque partium à corde remotiorum frigus & pallor, oculorum concidentia & vivacitatis interitus, &c.

Quid eſt Ira?

Eſt appetitio vindictæ ob injuriæ illatæ apprehenſionem.

Solent in ira Spiritus in cerebro violenter commoveri, & per vias ex cerebro explodi in nervos. Hinc oculi lucent & inflammantur quaſi, aliquibus frons rugat, pulſus fit frequentior & validior. Aliqui ſub initio iræ palleſcunt, frigent, rigentque, ſunt illi inter iratos peſſimi, quod fit, quia triſtantur, quod ſe ulciſci

ſatis

ſatis nequeant, vel quod timeant mala vindictam comitantia vel ſequentia. Verum ubi talibus ad vindictam deventum eſt, quanto primo fuere frigidiores & pallidiores, tanto magis tum incenduntur. Flent vero aliqui, dum in ira ſe ſatis nequeunt vindicare, vel quod in illis ob interdudentem triſtitiam pori glandularum ob inſufficientem à Spiritibus inflationem concidant, & ſic vapores tranſpirare ſoliti compingantur, vel quod ſanguis in ira rapidiùs & vehementiùs in glandulas lachrymales impulſus mox ſeri portionem aliquam per illas à ſe trajiciat in tubulos lachrymales.

Quid eſt Amor?

Amor eſt appetitio objecti quod ambimus ut bonum & conveniens.

In amore tam Sanguis, quam Spiritus, tam intra quam extra cerebrum jucundo motu agitantur, corpus paululum fit calidus, pulſus nonnihil ad velociorem & vivaciorem mutatur, hinc & inde nonnihil inæqualis ob ſpirituum ad varias cogitationes inæqualem è cerebro egreſſum, ex qua etiam profluit iſta oculorum contortio, variaque motio, ut amoris vel ex ipſis oculis habeantur indicia.

Quid eſt Odium?

Averſio rei vel perſonæ quam ut nocentem & nobis contrariam exiſtimamus.

Quid eſt Invidia?

Invidia eſt triſtitia de bono alterius, ſimul cum lætitia de ejuſdem malo.

Habet effectus in corpore ſimiles illis, qui in Triſtitia & Lætitia habentur.

Quid eſt Timor?

Timor eſt animi demiſſio ob imminentis mali exiſtimationem; Sanguis hic valde abruptim propellitur, quia Spiritus animales quaſi in cerebro ſiſtuntur aut retardantur, unde ſtatim pulſus rarus, tremor artuum, frigus, ſudor frigidus, pallor, & ad motum impotentia, atque hæc ita quidem ut aliquando mors ſequatur.

Quid eſt Pudor?

Pudor eſt magna opinio ſeu apprehenſio Scandali.

Spiritus hic valde inæqualiter in nervos excurrunt, modo enim velut in cerebro fixi ſunt, modo iterum affatim foras proſiliunt, unde modo in pudore facies pallet, modo rubet.

Graviter certe à pudore cor & cerebrum afficiuntur, quia vel poteſt cor in illis nimis conſtrictum contineri, vel non ſatis conſtringi ad circulationem ſanguinis & vitam continuandam, unde ſæpe author fuit mortis.

Quid eſt Spes?

Spes eſt appetitio boni futuri, tanquam quidem acquiſitu ardui, ſed poſſibilis.

Hic in cerebro, & extra illud placidiſſimus ſpirat ventus ſpirituum.

Quid eſt Deſperatio, & qualiter nos afficit?

Deſperatio eſt affectio nata ex apprehenſione boni, quod acquiſitu judicamus impoſſibile.

Hic, Spiritus cerebro quaſi incarcerati, cor per vices, ut debent, non ſatis conſtringunt, ſed ſanguis in eo & vicinis vaſis velut ſtagnans, ingentis coarctationis & puncturæ quaſi ſenſum facit.

Nonne

Nonne animæ affectiones maximè agunt in cerebrum, motum Spirituum, & motum Cordis?

Patet ſanè ex modo dictis circa animi affectiones, in omnibus illis cerebrum & ſpirituum animalium influxum lædi, maximè autem cordis motum *mediante illo* influxum peragendum, ſicut & ſanguinis circulationem.

Cur anima illas affectiones non, vel vix dirigit?

Patet ratio cur anima in affectiones illas regimen non vel vix habeat, quia ut jam dictum eſt, maximè fiunt motu cordis & ſanguinis, qui à fluxu ſpirituum animalium ex cerebello præſertim in nervos paris vagi dependet, quem anima non dirigit, & involuntarium eſſe ſæpius ſuperius inſinuavi. Nihilominus talis eſt, qui ſtatim ſequitur ad aliquas leviores etiam ſpirituum in cerebro commotiones, motumque cordis immutet, partim quia nervorum illorum patentior eſt aditus, & filamenta initio numeroſiora, partim etiam quia inter cerebrum & cerebellum eſt mutua ſpirituum tranſmiſſio & communio: nam Spiritus animales, in cerebro commoti, Spiritus in cerebello excitant, eoſque in nervos paris vagi protrudunt: Et hinc habetur ratio, quare in *amore*, lætitiâ, aliiſque paſſionibus eis affinibus, Spiritus extra cerebrum per nervos Paris Vagi, aliiſque functionibus naturalibus inſervientes majori copiâ *amandentur.*

In *Odio* animam illos in cerebro refrœnat: nam *dum anima amat*, objectis animalibus conjungit, ſeu ideis *rei amatæ* inhærere appetit, ex quibus cogitationes lætæ & tranquillæ emergunt, & Spiritus anima ad conſervandas ideas & alias

formandas dictæ rei prolicit, quibus anima exhibenda fortiter ab illis afficitur, quo ulterius fit, Spiritus animales in cerebro commoti successive Spiritus alios ex cerebro in cerebellum subministrare, ex eoque in nervos Paris Vagi protrudere, quibus actiones naturales augere coguntur. In odio vero, cum anima ideas rei habitæ minus formare desideret, nec ab illis affici, Spiritus tum in cerebro, tum in cerebello, & extra illud in nervos propelluntur parciùs, quibus alterationes corporis amori, &c. contrariæ producuntur.

Quomodo Spiritus perturbantur?

Perturbatur Spirituum motus in cerebro tam sensatione externâ quam internâ (utrum à purâ animæ cognitione, quæ sine Spirituum adminiculo contingere perhibetur, consequenter quæ medicæ considerationis non est, nec cognitioni nostræ manifestè non subjicitur, hic non quæro) quâ forti alicujus objecti spirituum in cerebro impressionem illud vivacius animæ representatur.

Nam quamprimum anima cognoscit bonum vel malum aliquod, ex hac vel illa re consecuturum, statim per majorem Spirituum vestigia illa firmantium, & alia formantium, quibus veritatem illius boni vel mali detegit, influxum, *Imaginatio* augetur, quâ Spirituum animalium motus in cerebro variatus, una motus naturalium spirituum in cerebello mutatur: ad quorum mutationem facit objecti externi diversitas: à qua pathemata diversa profluunt: non obstante potest diverso tempore idem objectum eidem subjecto producere diversas operationes.

Nonne

Nonne huc reducuntur aliæ quædam affectiones?

Imo plures, quæ similes in corpore producunt effectus, & quorum conformis est danda ratio, v. g. Talis est *Malevolentia* quæ est aversio & alienatio quædam unius ab altero: *misericordia* quæ est dolor ex malo alterius. De his plura qui desiderat Physicam adeat.

Quomodo passiones animæ inter se differunt?

Passiones animæ realiter inter se non distinguuntur, nec à reliquis sensationibus, nam realiter est ipsa anima, quatenus bonum sibi concedi, aut malum auferi desiderat: sed tantum penes majorem aut violentiorem uni,& minorem aut tardiorem alteri, spirituum influxum concomitantem.

A sensationibus vero penes Spirituum & Sanguinis alterationis præsentiam.

Nonne animi pathemata possunt etiam vocari actiones externæ?

Licet animi pathemata sint actiones animales internæ, possunt tamen aliquando vocari externæ, utpote quibus anima ab objectis externis afficitur & patitur.

Finis Hygicines.

FUNDA-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



FUNDAMENTORUM MEDICINÆ PARS TERTIA, SIVE PATHOLOGIA.

CAPUT I.

De Rebus contra Naturam.



QUID ſunt Res contra Naturam?

Res contra vel p. n. ſunt res naturali corporis viventis conſtitutioni adverſantes.

Quot numerantur res contra naturam, tanquam genera ſub quibus omnes aliæ locantur?

Sunt

Sunt tres: Morbus, cauſa morbi, & Symptoma.

Sub quibus omnis res contra naturam comprehenditur.

Nonne contraria ad ſe invicem poſita magis eluceſcunt?

Immo vero.

Nonne igitur Scopo noſtro inſerviet inſerere aliqua de rebus ſecundum naturam, antequam agamus de rebus contra naturam?

Benè ages, nam eſſentiales morbi differentiæ inde profluunt, & ſic res ſecundum naturam & præter naturam ſeſe invicem illuſtrabunt. Itaque dico res ſecundum naturam etiam eſſe tres: (ut ternarius eſt numerus p. n.) *Sanitas, Sanitatis cauſa, & Sanitatis effecta.*

Quid eſt Sanitas?

Sanitas eſt conſtitutio corporis viventis ſecundum naturam quâ actiones omnes ritè perficiuntur.

Nonne debent omnes actiones rite perfici?

Ut ſanus quis dicatur, debent actiones ejus omnes ritè perfici, & quod ſi in minimo ſit defectus, jam ſanus non eſt.

Sanitas enim quoddam corpori bonum eſt, bonum autem ex integrâ cauſa, malum ex ſingulis defectibus.

Quid hic intelligitur per Conſtitutionem?

Conſtitutio illa eſt aliquid reſultans ex debitâ temperie, conformatione, & unitione omnium corporis partium quo apti reddimur ad ritè omnes actiones noſtras peragendas.

Ea non poteſt accipi pro unione animæ cum Corpore, nam illa ſæpe eſt in ægris, ubi tamen actiones corporis nequeunt ritè perfici.

Quid

Quid intelligis per actiones ritè perfici prout hic?

Eſt convenienter ſuæ naturali conditioni quemlibet in particulari ſuas actiones elicere, non autem convenienter (r. u.) rei utrique naturæ univerſalis unde conſtitutione ventriculi vel oculi ſenis, quia diminutè videt vel digerit, ſanitas eſt (r. u.) reſpectu unius ſenis, quamvis non poſſit eſſe talis (r. u.) r. utriuſque adoleſcentis (& ſenis) quia equidem eſt talis prout naturalis Senectutis ſtatus exigit & permittit.

Quodnam eſt ſubjectum Sanitatis?

Subjectum Sanitatis eſt Corpus vivens, ejuſque partes, tam ſolidæ quam fluidæ, ſolæ enim illæ ſanæ dicuntur.

Nonne ſanitas conſiſtit in quâdam Commoderatione, quæ unica non eſt nec ſimplex?

Conſiſtit ſanitas in moderatione quadam ſeu medio, quod tamen abſolutè unicum non eſt & indiviſibile, ſed habet ſuam latitudinem & differentias? unicuique enim naturæ ſuum eſt medium, conformiter ad quod ſanitas poteſt dividi; ita alia eſt ſanitas hominis pituitoſi, aliabilioſi, alia juvenis, alia ſenis, prout ſunt variæ Temperamentorum & Conformationum differentiæ, & ſanitatis in hoc & illo rationes.

Item alia eſt ſanitas partis ſimilaris, quatenus organica non eſt, alia partis organicæ, quatenus non eſt ſimilaris; prior enim requirit pro ſanitate ſuâ debitum Temperamentum & Particularum unionem; poſterior debitam Conformationem, hoc eſt, juſtam magnitudinem, numerum, figuram & ſitum, inſuperque unionem debitam.

De-

Denique alia eſt ſanitas totius, alia partis tantum; plura enim ad Sanitatem totius, quam ad ſolius partis requiruntur, poteſtque HOMO ſecundum aliquam ſui partem ſanus eſſe, & tamen ægrotus.

Quid ergo requiritur, ad Sanitatem totius Corporis?

Ad totius ergo Corporis Sanitatem requiritur debita omnium partium temperies, debita conformatio & debita unio, iiſque habitis omnes actiones ritè peraguntur.

An Corpus ſanum concidit cum corpore benè temperato aut bene conformato?

Patet ex jam dictis non eſſe idem, *Corpus Sanum & Corpus benè temperatum, vel benè Conformatum*, ſiquidem plus ad Sanitatem requiritur, quam Sola bona temperies, vel bona conformatio, poteſtque homo benè eſſe temperatus, & non ſanus, ſi ſcilicet non benè conformatus, ſed peccet aliqua pars ejus in magnitudine, vel numero, vel figura vel ſitu.

Pariter poteſt homo è contra benè eſſe conformatus, & non bene temperatus.

Quid intelligis per cauſam Sanitatis?

Cauſa Sanitatis intelligitur ex dictis eſſe debita temperies, primarum in corpore qualitatum, debita conformatio & unitio omnium Corporis partium.

Quid intelligis per Sanitatem conſequentia, ſeu effecta ejus.

Sanitatis effecta, vel conſequens Sanitatem eſt actio, excreta & retenta, ac ſimplices corporis affectus, rite ſe habentes.

CAPUT

CAPUT II.

De Morbo.

QUid est Morbus?

Morbus est constitutio Corporis viventis præter naturam, quâ non omnes actiones rite perficiuntur.

Quid intelligis per Constitutionem?

Eodem modo ut de constitutione ad Sanitatem diximus, sic hic iterum per Constitutionem intelligi debet aliquid resultans ex indebita intemperie, conformatione, & unitione partium, quo actio aliqua male fit, seu male saltem modificatur, & inepti simus ad omnes actiones nostras ritè seu convenienter ad naturalem (cujûsque saltem in particulari) conditionem peragendas.

An ad Morbum requiritur omnium actionum Læsio?

Dicitur quâ, non omnes, &c. hoc est quâ aliquæ non rite perficiuntur, quia ad Morbum non requiritur omnium actionum Læsio, sed sufficit ad unius solius; malum enim ex singulis defectibus.

Quid sibi vult illud p. n. in definitione?

Excludit Constitutionem senum & infantum, licet enim non rite actiones perficiant, quia equidem talibus ætatibus secundum naturæ cursum debentur.

Quod-

Quodnam est Morbi Subjectum?

Subjectum morbi est Corpus vivens, ejusque partes solidæ & fluidæ, eæque sunt quæ ægræ denominantur.

An Anima non est quoque subjectum morbi?

Anima nostra (*N. B.*) rationalis ex creatione perfecta est, & si aliquo vitio laboraret, ex vitio Corporis seu organi, quo in suis eget operationibus, quamdiu corpori alligatur, hoc esset.

NOTANDUM.

Morbos similares ex indebita intemperie, item de indebitâ conformatione sive Morbos organicos, & ex solutâ unitate hic non tractabo, quia illi proprie ad Chyrurgiam spectant, ubi de vulneribus, ulceribus, fracturis, & fissuris ex professò agitur.

CAPUT III.

De Morbo universali & particulari.

QUomodo dividuntur morbi à loco affecto?

Alius morbus est Universalis, alius est Particularis, alius est proprius, alius est communis, alius est internus, alius externus.

Quid est morbus Universalis?

Morbus Universalis est, qui totum Corpus afficit, ut Febris, Cathexia, Anasarca, &c.

Nota. Non requiritur ad morbum universalem, ut omnes actiones, hoc est animales, & naturales lædantur, difficile tamen est has lædi, & non illas,

illas, vel è contra, quoniam multum à se invicem dependent.

Quid est morbus particularis?

Morbus particularis est, qui Corporis partem tantum afficit, ut Hydrocephalus, Pleuritis, &c.

Quid est morbus externus?

Morbus externus est, qui externas Corporis partes obsidet.

Quid est morbus internus?

Morbus internus est, qui internas Corporis partes obsidet, ut Nephritis, Dysenteria, &c.



CAPUT IV.

De morbo Contagioso & non Contagioso.

QUid est morbus Contagiosus?

Morbus contagiosus est, qui per contagium ex uno corpore in aliud propagatur, ut Pestis, Lepra, Lues Venerea, Phthysis, Rabies canina, Scabies, &c.

Quid est contagium?

Contagium est inquinamentum seu effluvium quoddam ex Corpore ægro emissum, distinctum à Semine, fœtus alimento & lacte, quo morbus ex uno Corpore in aliud transferri potest.

OBSERVATIO.

Contagium est velut morbi Seminarium quoddam, debetque sub mole minimâ magnam vim

& energiam totamque ſuam ſubſtantiam conti-nere: atque hujus defectu contingit, non omnem morbum eſſe contagioſum, non obſtante quod vix ullus ſit, quin aliqua ſua habeat effluvia.

Cur hic in definitione dicitur diſtinctum à Semine? Item cur ex Corpore ægro? &c.

Dicitur diſtinctum à Semine, primo quia morbus cum ſemine in primâ conformatione effuſus propriè vocatur morbus *Hæreditarius*, ut & communicatus fœtui cum nutrimento: aut ſecundo infanti cum lacte exhibitus, & vocatur *connutritius.*

Quomodo morbus à contagio Contagioſus dicitur?

Non quod debeat à contagio primo produci (eſt enim Peſtis cœlitùs producta morbus contagioſus, non tamen producta, eatenus à contagio) ſed quod ipſum contagium inferre valet, eoque mediante ſe de uno Corpore transferre in aliud.

An contagium omnibus idem eſt quod inquinamentum?

Non coincidit contagium cum inquinamento generatim ſic dicto, ſed hoc latius patet, nam dantur inquinamenta quæ contagium non ſunt: v. g. venena quædam ex animalibus, plantis, vel fundis venenatis: aut ex cadaveribus, aliiſque corruptis, quæ contagium propriè non vocantur, ſaltem dum ex aliquo corpore ægro non profluunt, nec in illo per ſimilem morbum producta ſunt.

An omne contagium fit à putredine?

Contagium ex putredine ſæpe oritur, non omne tamen, diverſis enim modis citra putrefactionem poſſunt aliqua in Corpore ita exaltari & figurari, ut vim habeant contagii, in natura contagii peſtilentialis, ex effectibus ſuis colligitur con-

consistere in quadam (*N. B.*) acutie, ad formam Cultellorum, quidni & talis figura diversis nostri Corporis particulis independenter à putredine indicatur.

Nonne contagium in humano corpore vivente generari potest?

Imo vero potest contagium in humano corpore etiam vivo generari, idque ex sanguine, semine, aliisque; unde patet admodum difficile esse, imo impossibile certò dicere an morbus contagiosus hic vel ibi à contagio externo, & non potius ab intus genito, sit productus.

Nonne contagium diversis modis è corpore emittitur ut in illud se insinuat?

Contagium ex corpore ægro diversimode emittitur, v. g. per cutis Poros, cum halitu, cum sputo, fœcibus, urinâ, sanie, &c.

Insinuat vero se in Corpus, seu cum Aëre inspirato, seu per cutis Poros, idque iterum diversimodè, siquidem aliud contagium est tale ut non communicetur nisi per immediatum contactum, ut illud in rabie caninâ: aliud transfertur cum vestibus, linteis, &c. ut illud in Scabie, Lepra; denique aliud per Aërem etiam ad magnam corporum distantiam propagatur, quale est illud in Peste, Phthysi.

An sufficit contagium, ut in actum feratur, in corpus immissum esse, vel an aliud quid requiritur?

Agens non agit in quodlibet sed tantum in dispositum, ideoque requiritur insuper dispositio in alio isto Corpore, ut illi debitè possit inhærere, ab eoque foveri, eaque dispositio & velut conditio quædam sine quâ non, defectu cujus accidit sæpè, uni homini ab altero contagium immitti, nullatenus tamen hunc simili morbo corripi, sed

per habitum Corporis, ſudores, urinas, ſputa, &c. iterum expelli: aliquando etiam valde diu ſine effectu obluctanti ejus Sanguini inhærere, ex eo quod miaſmata illa potius ſint deſtinata ut inficiant partes denſiores, eò quod facilè pervolent per Poros: ut ſunt alia quæ citius per molliores, eò quod ſe in denſiora inſinuare nequeant.

Verum ubi illa diſpoſitio Corporis favet, *hoc eſt*, ubi conformitas eſt, quoad magnitudinem, figuram, &c. tum in poris cutis tum in Sanguinis partibus, aliarumve partium Corporis, ibi promptiſſimè contagium ſe inſinuat, *& inſidias ſuas extruit*, & plura ſimilia corpuſcula in illo corpore producit: atque hinc deducenda eſt ratio cur v. g. contagium Phthyſis promptius de fratre in fratrem, Conſanguineum, &c. item de Pulmone in Pulmonem, quam in alium qui ex eâdem affinitate non eſt, propagatur, aut vim ſuam corroſivam exerat æque benè in cutem vel hepar alterius quam in ipſius pulmones; ſolent enim corpora fratrum aut aliorum ejuſdem affinitatis ſimiliora eſſe quoad Poros, ſuaſque particulas, atque idem eſt de partibus ſimilibus in uno & altero homine v. g. de pulmone in Petro, & de pulmone in Paulo. Unde miaſmata ex corpore Pthyſico emiſſa Pthiſin, ex Dyſenterico Dyſenteriam, &c. ob eorum cum partium poris ſimilitudinem inferunt.

Nota. Hinc Collige quod unum Corpus infectum plurima alia inficere poſſit, & tamen æque manere infectum.

Quid eſt morbus non contagioſus?

Morbus non contagioſus eſt, qui non propagatur per contagium ex uno corpore in aliud, ut: Vulnus, animi deliquium.

CAPUT

CAPUT V.

De morbo Pandemio, Epidemio, Endemio, & morbis Sporadicis.

Quid ſunt morbi Communes ſive Pandemii?

Sunt quando morbi ejuſdem Speciei	eodem tempore invadunt plures Regiones.

Quid eſt morbis Epidemius?	Ortus eſt à cauſa communi & invadit	Plures hoc in loco & eodem tempore.

Quid eſt morbus endemius?

Eſt morbus patrius Communis, ortus à cauſa aliquâ Communi.	Ut Scorbutus in Holland. Rachitis in Angl. Plica Polonic. in Poloniâ.

Quid ſunt morbi Spovadici?	Quando morbi diverſæ Speciei, eodem tempore & in eadem regione,	Invadunt homines, ut Pleuritis & Ophthalmia.

Ut hæc clarius eluceſcant, dico quod à loco & regione morbi aliqui Communes dicuntur *Pandemii*, ſuntque morbi ejuſdem Speciei qui plures

eodem tempore, & in eodem vel pluribus regionibus invadunt.

Pandemius alius eſt Epidemius, alius Endemius.

Morbus Epidemius ſeu popularis, eſt morbus ortus à causâ aliquâ Communi, nullique regioni propriâ, plures uno tempore & loco invadens: ut peſtis, angina, pleuritis Epidemica, &c.

Nota. Dicitur nulli regioni propria, ad excluſionem morbi Endemii.

Nota ſecundo. A cauſa aliquâ communi, prout hic eſt Cœli Aëriſque ſtatus, ita prava victus ratio.

Morbus Endemius ſeu patrius eſt morbus ortus à cauſa aliqua Communi, certæ alicui regioni proprius, ut Scorbutus Hollandiæ, Lues Venerea Indiæ, Brouchocele locis Alpinis, Struma Hiſpaniæ.

Cauſa communis hic eſt Aër, loci poſitura, aqua, & victus ratio, huic vel iſti regioni peculiaris.

Morbi, Sporadici ſunt diſperſi, à regione ſic dicti, ſunt morbi diverſæ Speciei, qui plures eodem tempore & in eadem regione invadunt: ut Pleuritis & Ophthalmia, quæ licet ambæ ſint inflammationes; apud medicos tamen, qui diverſitatem ſumunt ab affectâ parte, & Symptomatibus Specie diverſis, dicuntur differre Specie.

CAPUT

CAPUT VI.

De morbo Brevi, Longo, Acuto & non Acuto.

A Tempore ſuo morbus alius brevis alius longus eſt.

Quid eſt Morbus Brevis ?

Morbus brevis eſt qui brevi ad terminum ſuum pervenit : ut Febris Ephemera, Febris ardens.

Quis eſt Morbus Longus ?

Morbus longus eſt qui non brevi ad terminum ſuum pervenit, ut Quartana intermittens, Hydrops, Paralyſis & Epilepſia, ſaltem loquendo non de paroxiſmo ſed de tempore univerſali Epilepſiæ, à quo tam in hâc, quam omnibus aliis morbis ſumitur longitudo.

N. B. A longitudine temporis & modo illud decurrendi, morbus iterum alius eſt acutus, alius non acutus.

Quid eſt Morbus acutus?

Qui brevi & cum periculo ad terminum ſuum pervenit, itaque eſt Species r. u. (reſpectu utriuſque brevis & brevis) morbi brevis ; omnis ſiquidem acutus eſt brevis, non è contra : quia non omnis brevis eſt acutus, ut Febris Ephemera eſt brevis, ſed ſine periculo.

Quotuplex Morbus acutus ſtatui ſolet ?

Morbus acutus ſtatui ſolet Quadruplex, pro diverſo acutiei gradu, ſcilicet:

Primo, *Extremè acutus*, qui finitur tertio, aut ad summum quarto die, ut Apoplexia acutissima, item Febris pestilens.

Secundo, *Peracutus*, qui durat ad summum ad septimum diem, ut Febris Ardens.

Tertio, Acutus simpliciter, qui durat ad summum ad diem Vigesimum ut, Febris continua non ardens.

Quarto, Acutus ex degeneratione, qui ad summum durat ad diem Quadragesimum.

Verum videtur quod duæ posteriores Species, morbi acuti non sunt dicendi, quia breves non sunt.

Quis est Morbus non acutus?

Morbus non acutus est, qui non pervenit brevi & cum periculo ad suum terminum. Talis est omnis morbus longus, item omnis non periculosus.

CAPUT VII.

De Morbo Benigno & Maligno.

QUid est Morbus Benignus?

Morbus benignus est, qui solita sua habet Symptomata, ut, Febris tertiana vel ardens, habens ordinaria sua Symptomata.

Quid est Morbus Malignus?

Morbus malignus est, qui habet Symptomata solitò graviora.

Quid

Quid eſt Mos *Morbi?*

Mos morbi, à quo morbus dicitur boni vel mali moris, eſt conditio morbo ſuperveniens, ratione Symptomatum ei communium, vel non communium.

Unde profluit malus Mos?

Quod morbus mali moris ſit, fit ratione ejus propriæ materiæ quæ inſolitum habet vitium, hoc eſt, quod materia magis aduſta ſit, vel magis putrefacta, &c. non autem hoc haberi poteſt ex parte Corporis affecti, licet ex ejus imbecillitate aut diſpoſitione, alia non raro, ſolitò majora ſequantur Symptomata, ut ex Febre mediocri videmus mox in aliquibus Syncopen, graviſſimos vomitus, &c. exoriri, ſiquidem eatenus potius tunc morbus magnus eſſet vocandus, ſaltem reſpectivè.

Quomodo Morbus malignus differt à Morbo contagioſo?

Dico quod ſeſe mutuò excedant; nam peſtis eſt morbus malignus & contagioſus ſimul. Malignus non contagioſus poteſt eſſe aliqua tertiana v. g. habens Symptomata quidem inſolentiora & tertianæ non propria, non tamen contagioſa.

An omnis Morbus contagioſus non eſt malignus?

Nequaquam, nam morbus poteſt eſt contagioſus & tamen non malignus; ut quædam ſcabiei Species.

CAPUT VIII.

De Morbo magno & parvo.

NOTA. A quantitate morbus magnus vel parvus appellatur.

Nonne magnitudo morbi poteſt dupliciter conſiderari?

Imo poteſt. Primo, cum comparatione ad perſonam afflictam, & hoc modo morbus in ſe parvus, magnus vocari potoſt, ſic Febris de ſe non magna, vel morbus alius levior, ſi comparetur ad infantem aut hominem debilem magnus ſolet æſtimari.

Secundo, Magnus dici poteſt, conſideratus ſecundum ſe.

Quid eſt Morbus per ſe magnus?

Morbus per ſe magnus, & qui propriè magnus dicitur, eſt qui vires etiam validas aptus eſt dejicere & mortem inſerre.

Ex quibus fontibus talis Morbus dicitur magnus?

Talis magnitudo ex duplici fonte promanat, ſcilicet ex afflictæ partis nobilitate aut inſigni uſu ut ſi affectum ſit cerebrum, cor, ventriculus, &c. Et quod morbus extenſivè, vel intenſivè magnus ſit: ut ſi inflammatio (quæ de ſe non eſt neceſſariò magnus morbus) in aliquo integrum crus vel brachium occupet: vel ſi ſit quædam inflammatio (quæ de ſe non eſt neceſſariò magnus morbus) in unâ tantum manu vel parte ejus, ſed tam intenſa ut gangræna immineat.


An

An Morbus magnus idem est ac Morbus vehemens?

Nullo modo, siquidem ultra magnitudinem posterior impetum quendam vel velocitatem junctam habet.

Quid est Morbus per se parvus?

Morbus parvus per se est, qui non est aptus vires validas dejicere, mortemque inferre ut, Febris Ephemera, Tenesmus.



CAPUT IX.

De Morbo primario, id est per Idiopathiam, & secundario sive per Sympathiam.

QUid est Morbus primarius, seu Morbus per Idiopathiam?

Morbus primarius per se proprius sive per Idiopathiam est morbus qui non dependet ab altero ejusdem Corporis morbo in conservari, ideoque propriam desiderat curationem: ut obstructio renis á calculo.

Quid est Morbus secundarius, seu Morbus Symptomaticus?

Morbus secundarius, per consensum seu Sympathiam, est morbus, qui dependet ab altero ejusdem Corporis morbo in conservari, ideoque non desiderat propriam curationem: ut delirium sequens Inflammationem Diaphragmatis: delirium enim dependet & ab illa inflammatione, eâque ablatâ aufertur, nec propriam curationem postulat.

Quid

Quid intelligis per Sympathiam?

Sympathia ſive conſenſus à quâ partes dicuntur laborare per conſenſum ſeu per Sympathiam, aliud non eſt quam compaſſio quædam partium interſe.

Quid & Quotuplex eſt illa compaſſio?

Illa compaſſio vel eſt affectus ejuſdem vel diverſi.

Ejuſdem ut cum pars à parte corruptâ corrumpitur.

Diverſi ut cum pars convellitur à punctura nervi.

CAPUT X.

De morbo Hæreditario & non Hæreditario.

QUid eſt Morbus Hæreditarius?

Morbus Hæreditarius eſt morbus qui à parentibus, eidem Speciei morbi obnoxiis, in ſobolem transfundi ſolet ob vitium ſeminis vel fœtus nutrimenti.

Quare in definitione ponitur illud verbum Obnoxiis?

Dicitur Obnoxiis, quia ut morbus Hæreditariè acquiſitus dicatur, non requiritur ut actualiter parentes illo morbo laborent, aut unquam laboraverint, aut laboraturi ſint, poſſunt enim contrariâ victus ratione proventum & expullulationem morbi Hæreditarii in ſe inhibere & compeſcere; ſed ſufficit quod ſaltem illi Speciei morbi ſint Obnoxii: hoc eſt, diſpoſitionem equidem ad illum in ſe habeant, ſive à ſuis majoribus

bus ſive aliundè impreſſam, eoque poſito poteſt ſoboles morbo corripi, qualem nunquam habuere parentes.

An Morbus Hæreditarius debet ſe à primo ortu manifeſtare?

Non putandum quod morbus, ut ſit Hæredirius, debeat mox ab ortu in infante ſe manifeſtare, ſed aliquando in adulta tantum ætate ſe manifeſtat, eo quod diſpoſitio illa morbifica ſoboli impreſſa, tum tantum, ſive ob aliam victus rationem, ſive ob aliud Temperamentum, ſive ob cauſas aliquas externas, ſive denique ob aliam Sanguinis & ſolidarum partium diſpoſitionem, ob quorum omnium defectum, inquinamentum Morbificum uſque eò depreſſum fuit, devictum & occultatum.

Ita videmus Pthyſin Hæreditariè contractam ſæpius tantum ad annum vigeſimum quartum, trigeſimum & trigeſimum ſextum exacerbeſcere, ita & videmus variolas ex impuritate Sanguinis materni relictâ in ſobolis corpore ſæpius ad annum octavum, decimum, duodecimum, ac amplius excreſcere, & ſic de aliis.

Poteſne mihi fuſius explicare ubi tam diu latuerit ſeminium illud Hæreditarium, quomodo excitetur, quid in ſe illud ſit, & quomodo fætui imprimatur?

Ad primum reſpondeo, illud ſeminium tam diu potuiſſe latere in ſolidis Corporis partibus, aut intricatum fuiſſe Sanguini ſolidiori, aut à Sanguine molliore obvolutum & obductum, donec tandem, maſsâ Sanguinis magis efferveſcente, vel in Corporis cavernis, quibus infixum & incarceratum erat, exaltetur & exſuſcitetur, vel ex illâ eluatur, & in maſſam Sanguineam reſumatur, vel ſi in illâ ſit, per ejus efferveſcentiam

aut

aut diſſolutionem ab illa extricetur, & ad partem aliquam, quam facilius intrare poteſt, detrudatur.

Ad ſecundum reſpondeo, illud inquinamentum eſſe Corpuſculum aliquod aut Corpuſcula, quæ ex affectis, aut malè ſaltem diſpoſitis parentum partibus, cum Sanguine ad eorum teſtes, vel in matre inſuper cum Sanguine vel Chylo ad uterum deportantur, complectentia in ſe inſtar ſeminii, totam morbi eſſentiam, ac ratione figuræ ſuæ, dum movetur, maximæ activitatis, quale diximus eſſe contagium, à quo in re non differt, ſed tantum penes connotatum morbi, quem invehit.

Ad tertium, quod imprimis cum Sanguine illud deferatur ad teſtes tam virorum quam mulierum, ſeque ob tenuitatem & agilitatem ſuam in mulierum ova ſeu ſemen facile inſinuet, prout in virorum ductus ſeminales, atque ita ſemen inficiens, & cum illo in materiam fœtus impenſo vitio ſuo aliquando revicturo illud imbuit. Nec refert quod agendo de ſemine dixerim ad Conformationem noſtram, non ita Craſſiuſculum paterni ſeminis, quam auram quandam tenuem, ſeu Spiritum ex illo evolantem concurrere, qui deinde ovaria ſeu teſtes muliebres invadat, nam poteſt illud ſeminarium ob ſuam tenuitatem facile cum Spiritu ſeminali copulari, aut ſaltem ſe junctum unà cum illo ad mulierum ova, ex quibus fœtus generatur, ſe attollere, eaque contaminare.

Quod vero etiam ad fœtum à matre cum alimentis *ejus inquinamentum hæreditarium* venire poſſit,

poſſit, vel cum matris ſanguine, dubium non eſt.

Siquidem chylus, quo nutritur fœtus, in matris corpore confectus eſt, perque illud movetur; Sanguis vero matris in uteri incrementum cedit, & quamvis fœtum non nutriat, continuis tamen ſuis in cavum uteri & placentam evaporamentis, ejus chylo & ſanguini labem imprimit.

Quinam ſunt morbi, qui magis hæreditariè propagari obſervantur, quamvis firmiter aſſerere non potes, hunc vel illum eſſe hæreditariè inductum?

Plures morbi ſunt hæreditarii, hi tamen qui ſequuntur, præcipui ſunt: *Podagra*: *Nephritis*: *Apoplexia*: *Melancholia*: *Pthyſis*: interim valdè dubium eſt aſſerere, ubi quempiam aliquo ex nominatis morbis affectum cernimus, illum verè iſtum morbum à parentibus acquiſiviſſe, quia à proprio vitio poteſt illi ſubortus eſſe, ideoque ad ſummum ſolâ ſuſpicione, quod parentes ſimili morbo laboraſſe ſciamus, hæreditario aliquem morbo affligi pronunciare poſſumus.

Quid eſt morbus non hæreditarius?

Morbus non hæreditarius eſt qui non ſolet à parentibus eidem ſpeciei morbi obnoxiis in Sobolem transfundi ob vitium Seminis vel fœtus nutrimenti; ut Vulnus.

CAPUT

CAPUT XI.

De Morbi tempore, Paroxyſmo, Periodo, Typo, & de Morbo Recidivo.

QUid eſt Morbi tempus, unde deſumitur & quotuplex?

Tempus morbi eſt tempus, quo notabilis morbis obſervatur mutatio. Illa mutatio habetur pro diversâ activitate cauſæ morbificæ in corpus, & è contra, quæ ulterius ex ſymptomatum intenſione & remiſſione dignoſcitur.

Quid eſt tempus morbi univerſalis, quotuplex eſt, & quando ſingula habentur?

Tempus morbi univerſalis quod totius morbi decurſum diſtinguit, eſt quadruplex, viz. *Principium, Augmentum, Status* & *Declinatio.* Univerſale morbi *principium*, eſt, quando morbus agere incipit, ſicut actiones necdum ita multum lædantur. Univerſale morbi *augmentum* eſt, quando morbus valdè notabiliter, necdum ſummè lædit actiones. *Status* morbi univerſalis eſt, ſeu ſummum, quando morbus maximè lædit actiones. Morbi univerſalis *declinatio* eſt quando morbus jam non amplius lædit actiones.

Nonne initium morbi aliter à Medico ſumitur, ac à vulgo?

Vocat vulgus morbi initium primum diem, vel horam quâ morbum ſentit. Nobis illud eſt diviſibile etiam in plures dies, ſaltem in morbis majoris durationis.

Nonne omnis morbus obit sua quatuor tempora universalia?

Illa quatuor in omni morbo absolutè habentur, sive ad vitam tendit sive ad mortem, sive medicamentis oppugnetur, sive non: solent tamen tempora illa esse maximè inæqualia: quia morbus unus totalis celeriùs totum suum cursum, & consequenter universalia sua tempora absolvit quam alius, præsertim si illi benè vel malè medeantur.

Vulgariter tamen loquendo de morbi tempore, hoc est, illud metiendo secundum consuetam hujus vel illius morbi durationem, possemus dicere, illa quatuor tempora non haberi in omni morbo, sed aliquos in principio, incremento vel statu morbi, alios vero medicamentis in principio vel incremento à morbo liberari.

An ullus unquam obit in declinatione morbi universali?

In declinatione morbi nemo moritur, saltem ab eo morbo cujus illa est declinatio, devicta enim vel expulsa tum est morbi causa; posset tamen in illo adhuc mori ex alio morbo conjuncto vel superveniente, vel defectu requisitorum ad vitam, ut in senibus.

Quid est tempus morbi particulare?

Particulare morbi tempus est, quod Paroxysmi decursum distinguit.

Quid intelligis per Paroxysmum?

Paroxysmus est tempus exacerbationis in morbis per vices invadentibus. Ita Febris Tertianæ Paroxysmus est illud cujusque tertiæ diei spatium, quo febris exacerbatur, habet illud verè suum initium, incrementum, statum, & declinatio-

nationem, ſecundum febris excandeſcentiæ gradum.

Quis eſt morbi periodus?

Periodus eſt tempus exacerbationis (in morbis per vices invadentibus) & remiſſionis in aliquibus morbis, ſeu tempus quod eſt ab unius paroxyſmi uſque ad initium proximè ſubſequentis.

Unde periodus differt à paroxyſmo, quod paroxyſmus tantum ſit pars periodi ſeu particulare tempus in illo comprehenſum. Illi morbi dicuntur medicis ſervare ſuam periodum, qui regrediuntur ſtatis temporibus, v. g. ut quotidiana, tertiana, quartana Febris.

Secundum hoc dicimus morbum ſervare periodum tertianariam, quartanariam, &c.

Quid eſt Morbi tempus? An omnis morbus habet Periodum vel Typum?

Typus eſt ordo intenſionum & remiſſionum, in Morbis, forma aut modus periodi.

Atrophia, Paralyſis non habent Periodum vel Typum, continuò enim affligunt.

Quid eſt Morbus redivivus, & cur debet poſt breve tempus redire?

Eſt morbi (ſanati prius) reditus poſt breve tempus.

Dicitur poſt breve tempus, quia ſi diu poſt alicujus morbi ſanationem, ſimili iterum quis corripiatur morbo: non eodem ſed diverſo cenſetur affici, adeoque nec recidivam pati.

CAPUT

CAP. XII.

De Causa Morbi ejusque Speciebus.

Quid est Causa Morbi?

Causa Morbi apud Medicos est, res præter naturam morbum efficiens.

Quotuplex est Causa?

Est multiplex, sed medicè est triplex. 1. Procatharctica. 2. Antecedens, & 3. Consequens sive Continens.

Quid est causa procatharctica, & quotuplex?

Causa procatharctica est cuivis evidens. Hoc est causa cui à quovis sanæ mentis notum est statim morbum imputari. Duplex est scilicet interna & externa, seu quod idem in nobis, vel extra nos facta.

Procatharcticæ internæ sunt, v. g. omnes animi affectus ut, Ira, Tristitia, Dolor, &c.

Sic solet vulgus alicujus mortem vel ægritudinem imputare lætitiæ ejus nimiæ vel iræ; si ad illam subito vel paulo post videant corripi.

Procatharcticæ externæ sunt, v. g. Lapis, Gladius, Culter, Baculus, Aër, Cibus & Potus, &c. malè se habentes.

Quid est causa antecedens & cur in definitione dicitur non cuivis evidens?

Causa antecedens est causa non cuivis evidens, quâ sublatâ non statim debet auferri morbus. Talis est abundantia sanguinis, r. u. in-

flammationis quam in aliquâ parte fecit; illâ enim venæſectione ſublatâ, non debet ſtatim tolli inflammatio, nam tum adhuc illa continuatur à ſanguine extravaſatio in parte ſeu causâ continente.

Talis enim eſt pituitæ ſaburra in ventriculo, (r. u. id eſt reſpectu vario) & Apoplexiæ quam produxit de ſe, immittendo partes aliquas in maſſam ſanguinis & caput: nam illâ ſublatâ per vomitorium è ventriculo, manere tamen adhuc poteſt ea pituitæ pars quæ cerebri meatûs *occludit*. N. B. Itaque cauſa antecedens, eſt idem ac cauſa fovens continentem.

Quid eſt cauſa continens?

Cauſa continens eſt, quâ ſublatâ ſtatim tollitur morbus.

Talis eſt ſanguis extravaſatus in parte inflammata, r. u. inflammationis quam ibidem facit.

An cauſa continens poſſit ſimul eſſe Procatharctica vel antecedens?


Hæc poteſt eſſe cauſa Procatharctica, ſic filum anguſtans arteriam, vel pars panis nimis guloſè vorati fauces obſtruens eſt cauſa morbi organici ex vitiatâ figurâ, nam cavitatem dictæ partes requirunt, eſt tamen cuivis evidens.

Non poteſt tamen cauſa continens eſſe antecedens, ſaltem eodem tempore, & r. u. ejuſdem morbi, quia ſic eadem cauſa deberet eſſe talis ut ipſa poſitiva, v. g. hic morbus poneretur & ablata ſtatim tolleretur, atque ſimul non eſſe talis. Poteſt tamen cauſa quæ jam eſt antecedens fieri continens, & è contra: ita pars aliqua Sanguinis, ſua quantitate manus inflammationem cauſantis

ſantis eſt cauſa antecedens, r. u. iſtius inflammationis, ſi ſaltem cum reliquo Sanguine per crura, caput, & reliquas partes circuletur: & erit continens ſi ad inflammatam manum devehatur, in eaque etiam extravaſetur; & fiet iterum antecedens ſi ex affecta manu in venas reſumitur, & maſſam ſanguinis adaugens, cum ea, uti ante, circuletur.

Annon poteſt dari facilior & clarior morbi cauſæ diviſio?

Sufficienter & longè clarius morbi cauſa divideretur *in externam* ſeu extra corpus natam, & *internam* ſeu intra corpus natam: item in *proximam & remotam*: vid. alios Authores: *Sennertum* vel ſimilem.



CAPUT XIII.

De Plethora, Cacochymia, & Flatu.

Quid eſt humor præternaturalis?

Humoris, p. n. tractationem in Phyſiologia diſtulimus, eò quod illa tantum conſideret res naturales: hæc vero res p. n. & ſic etiam humorem, p. n. tanquam frequentem morbi cauſam. Humor igitur, p. n. eſt qui habet qualitatem nobis inimicam.

Quotuplex eſt ille humor, p. n?

Totuplex, quotuplex humor naturalis.

Quid eſt Plethora?

Plethora, ſive nimia plenitudo eſt nimia quantitas

titas maſſæ ſanguineæ, cum debitâ humorum in illâ proportione.

An valet Plethoræ diviſio in Plethoram ad vaſa & ad vires?

Non valet illa diviſio: tamen *Plethora ad vaſa* dicitur, in qua vaſa multum diſtenduntur; *Plethora ad vires*, ubi vires multum obruunrur.

Quâ ratione nimius Sanguinis quantitas vires obruit?

Hoc fit, ſi Sanguis ſit in valde magna quantitate, tunc Sanguis ſolidior eſt, & tardius per Cor tranſit, unde & non ita in corde efferveſcit.

Præterea etiam Cordis fibras mole ſuâ nimis expandendo multum illud debilitat, laſſatque ex quo deinde debilis propulſio, ſpirituum inſufficiens generatio, vel craſſities, & ſic actionum omnium ſeu virium ſegnities.

Non valet præcedens Plethoræ diviſio, ſiquidem omnis Plethora ad vaſa etiam eſt ad vires, non enim poſſunt nimis diſtendi vaſa, quin & nimia ſit ſanguinis quantitas, r. u. cordis, cujus capacitati proportionantur, & ſic vires obruet, & è contra ſanguinis quantitas nunquam vires obruit quin nimia ſit, tumque etiam nimis vaſa diſtendit, & plethora eſt ad vaſa.

Quid eſt Cacochymia?

Cacochymia eſt maſſæ ſanguineæ mala qualitas.

Undo oritur Cacochymia?


Non tantum ex malâ qualitate alicujus humoris, ſed etiam ex mala qualitate alicujus à Sanguine diſtincti; nam tunc tota maſſa non cenſetur habere ſuam qualitatem requiſitam ſeu tem-

temperiem, atque ſic cacochymia multiplex eſt, prout diverſi humores à Sanguine diſtincti in maſſa ſanguinea poſſunt ſuâ quantitate peccare, vel prout omnes (etiam ipſe Sanguis) poſſunt peccare qualitate.

Quid ſunt Flatus? ex quâ materia generantur, quomodo deſinunt, & quo in loco magis ſiunt?

Ad humores, p. n. reducuntur Flatus, qui ex humoribus proveniunt, maximè ex cibi, *& pituita præſertim inteſtinali*, quæ dum cum bile & ſucco pancreatico fermentatur in inteſtinis, ſic enim ut in aliorum liquidorum fermentatione accidit, reſolvitur in vapores craſſos & tenaces ſubinde, qui inſtar aëris rarefacti agitantur, fluctuant, & partes, quibus continentur, expandunt, donec iterum coaleſcant ad ſe invicem, aut diſſipanter, aut aliter excernuntur.

Eorum præcipuæ ſedes ſunt inteſtina, quia ibi habetur materia eorum, & cauſa eorum aptiſſima, & quia continuo, ideo vix unquam inteſtina ſunt ſine flatibus.



CAPUT XIV.

De Symptomate in genere.

QUid eſt Symptoma?

Symptoma eſt, p. n. morbi effectus, ut ſitis r. febris.

Debetne verum Symptoma ſequi morbum ut cauſam?

Poteſt etiam ſymptoma ſequi aliud ſymptoma.

Item poteſt ſequi cauſam morbi ſed hoc verum ſymptoma non eſt, ipſe morbus poteſt eſſe ſymptoma. Item poteſt eſſe cauſa morbi & ſymptoma. Omnis morbus habet ſuum ſymptoma.

Quænam ſunt & unde deſumuntur Symptomatum differentiæ?

Verum Symptoma debet ſequi morbum tanquam ſuam cauſam, idque proximè vel remotè ſaltem. Unde datur Symptoma proximè morbum ſequens, ut ſuperius aſſignatum, & datur non ſequens illum proximè, v. g. Symptoma ſymptomatis ſeu proximè ſymptoma ſequens, v. g. imaginatio depravata, quatenus ſequitur motum Spirituum in Gyrum in cerebro, factum ulterius per morbum organicum, ſeu per nimiam anguſtiam nervorum opticorum, ſic ut ob eam Spiritus ab illis reſilientes motum gyralem ineant. Symptoma autem non verum poteſt etiam ſequi cauſam morbi, ſed revera non eſt niſi morbi coëffectus. Sic à re vehementer corrodente carni applicatâ, eodem prorſus tempore fit ulcus & dolor, aut pruritus, qui poſt poſteriores vocari ſolent Symptoma cauſæ: hinc effectus eſt quod à causâ efficitur: coëffectus, ſunt effectus ab eâdem causâ ut ultimo reſpondeam ad diviſionem propoſitam.

Dico, dividitur Symptoma in tres ſpecies generaliores, ſcil. in actionem læſam: excretorum & retentorum vitium: & in qualitatem corporis alienam ſeu mutatam.

CAPUT

CAPUT XV.

De Actione Læsâ.

QUænam eſt actio læſâ?

Actio læſa eſt quæ non fit ut fieri debet.

Quot ſunt genera actionis læſæ?

Tria ſunt genera actionis læſæ, uti triplici modo omnis actio lædi poteſt. In *abolitum diminut.* & *depravat.*

Quid eſt actio abolita?

Actio abolita eſt, quæ prorſus fieri nequit, ut viſus abolitus in cœcitate; motus abolitus in Apoplexia, &c.

Quid eſt actio diminuta?

Quæ minus eſt, & quæ minus & debilius fit, quam naturaliter fieri debet, ut: minor appetitus in ægro.

Ex quibus capitibus actio depravatur?

Actio depravata eſt, quæ ſpeciale aliquod habet vitium, ſive interim fiat languidius, ſive non.

Sub quâ actione continetur actio aucta, & dolor?

Illa continentur ſub actione depravatâ.

Quid eſt dolor?

Dolor eſt moleſta ſenſatio à re, p. n. partes dolorificè afficiente ſubortâ.

Objectiones variæ hic moveri poſſunt: de quibus lege alios Authores.

CAPUT XVI.

De Excretorum & Retentorum vitio.

Quid est Excretorum & Retentorum vitium, & quomodo hic ſumitur?

Excretorum & retentorum vitium eſt quid, p. n. in excretis & retentis, profluens à morbo.

Quid excretum hic, & qualiter peccat?

Per excretum hic intelligitur quicquid ex vivente corpore egreditur. Hoc eſt non illud tantum quod in ſanis ſolet è Chylo & Sanguine continuò decidi, ſed & omne quod non niſi ab ægris excernitur, idque peccat totâ ſubſtantiâ, vel quantitate, vel qualitate, vel excretionis modo, vel excretionis tempore.

Quotuplex igitur eſt excretorum & retentorum vitium? Quodnam peccat tota ſubſtantiâ? & an aſſignare potes vitiorum ſingulorum in excretis Exempla?

Vitium igitur excretorum & retentorum eſt quintuplex: 1. Ex ſubſtantia totâ. 2. Ex quantitate. 3. Ex qualitate. 4. Ex excretionis modo. Et 5. Ex excretionis tempore.

Illud excretum dicitur peccare totâ ſubſtantiâ, quod ſubſtantiâ ſeu toto genere, p. n. eſt, illudque ſolum: ut calculus, vermis inteſtinorum, rameta in Dyſenteria; conſequenter cum ſcholis non bene dicitur: omne illud quod in corpore retinendum erat excretum, ſubſtantiâ peccare; ſiquidem Sanguis laudabilis non eſt ſubſtan-

ſtantiâ ſuâ, p. n. ejus tamen excretio vitioſa eſt, & ſymptomatica: ſequens tamen morbum ex ſolutâ unitate alicujus vaſis, adeoque & ſanguis hic quidem ſub excreto à nobis comprehenditur, ſed non ut habens vitium ex ſubſtantiâ verum ex quantitate, qualitate, vel ex modo, vel ex tempore excretionis.

Jam quoad Exempla: exempla ſingulorum vitiorum in excretis ſunt hæc: Imprimis in excretis toto genere p. n. eſt, v. g. excretio calculi, vermis, caruncularum inteſtini.

Ex quantitate, ut ſanguinis menſtrui vel hæmorrhoidalis nimia: vel nimis parva quantitas, excretio ſeminis nimia, in Gonorrhæa, Urinæ in Diabete.

Ex qualitate, ut v. g. Fœtor nimius, vel alienus color in ſudore vel urinâ.

Ex excretionis modo, ut v. g. excretio fœcum alvinarum per os, in Iliacâ paſſione, ſ. *Miſerere mei*: excretio menſtrui, per pulmones vel per os.

Denique vitium in excretis *ex* excretionis tempore eſt, v. g. excretio Sanguinis menſtrui citatior, vel tardior, &c. quæ omnia actionem læſam ſequuntur, ut examinanti patefiet.

Quid intelligitur per excretionem ſymptomaticam? & quid per naturalem, ſive idiopathiam?

Excretio ſymptomatica ea eſt, quæ fit à morbo, ſeu dum cauſa morbi ſic irritat, ut v. g. ſudor, alvi fluxus, vel vomitus, &c. ipſa tamen cauſa ſine ægri levamine, & aliquando cum majori nocumento intus manente; *eaque excretio mala eſt.*

Excretio

Excretio naturalis, ſeu idiopathetica illa eſt, quæ fit per hoc, quod jam cauſa morbifica ita eſt ſubacta & præparata ſucceſſu temporis, ut cum ægri levamine per vias aliquas poſſit expelli. Excretio toto genere præternaturalis eſt excretio calculi, ut ſupra eſt dictum.

Finis Pathologiæ.




FUNDA-



FUNDAMENTORUM MEDICINÆ PARS QUARTA, SIVE SEMEJOTICE.

CAPUT I.

De Signo Medico in genere, & aliquibus ejus Speciebus.



UID est Signum apud Medicos?

Signum apud Medicos est aliquid manifestius deducens nos in cognitione alicujus occultioris in arte medicâ.

Quid intelligis per occultioris in definitione?

Per

Per occultiorem intelligo hujus vel illius hominis conſtitutionem.

Quomodo dividitur ſignum ?

Plurimi Medici recitant ſignorum diviſiones, ſubdiviſiones, &c. Quærunt inſuper an detur ſignum neutrum ; ego ea ſolummodo ſigna nominabo quæ ſunt majoris momenti & in quotidiano praxi neceſſaria. Dividitur igitur ſignum in Diagnoſticum, & Prognoſticum.

Quid eſt ſignum Diagnoſticum ?

Diagnoſticum eſt quod aliquod præſens ſignificat.

Prognoſticum, quod aliquid futurum prædicat.

Quid ſint ſigna commemorativa, ſalubria, inſalubria, ſeparabilia, & inſeparabilia, propria, commemorativa, naturalia & præternaturalia, &c. *vid. Sennertum.*

NOTA.

Cavebit prudens Medicus ne nimis temerariè aut liberaliter procedat in prognoſticis, ne ignominiam odiumque incurrat, quin præſtat potius ſubinde ſub nomine periculi prognoſticationem celare.

CAPUT

CAPUT II.

De Cognitione Morbi ex quatuor Signis.

EX *quibus signis noscitur Morbus?*

1. Ex excretorum specie, ut constitutio calculosa ex arenulis in urinâ.

2. Ex loci natura: Torquetur venter ex vermibus.

3. Ex proprietate doloris: ut inflammatio ex dolore pulsante.

4. Ex propriis accidentibus: Febris ardens ex intensissimo totius corporis calore, cum nigredine linguæ & siti inexplebili.

Juvantia insuper & lædentia dignotionem certam exhibent.

CAPUT III.

De dignotione causæ Morbi.

EX *quibus signis noscitur cognitio causæ morbificæ?*

1. Ex temperamento. Ex calido noscitur morbum esse calidum.

2. Ex colore Cutis. Ex colore flavo noscitur esse bilem.

3. Ex ætate. Ex senili: causam esse frigidam. Ex juvenili, calidam.


4. Ex

4. Ex doloris ſpecie. Ex urente dolore, novimus eſſe bilem, ex inſtabili eſſe flatum.

5. Ex cauſa evidente. Sic ex victu lauto & copioſo cum vitâ ſedentaria noſcitur Sanguinis nimiam, q. eſſe cauſam.

6. Ex excretis. Sic ex freq. Pituitæ excretione novimus Pituitam eſſe cauſam.

7. Ex juvantibus & lædentibus. Sic ex juvante frigido medicamento, noſcitur cauſam eſſe calidam: & ſic porro.



CAPUT IV.

De Dignotione Partis affectæ.

Ex quibus ſignis noſcitur pars affecta, & ex quibus exemplis ſingula cognoſcuntur?

1. Ex actione læſa. Noſcitur affecta auris ex læſione auditus.

2. Ex ſitu morbi. Lien affectum ex tumore duro in ſiniſtro latere.

3. Ex proprietate doloris. Sic dignoſcitur affecta membrana ex dolore pungente.

4. Ex propriis accidentibus. Ex anxietate noſcitur affectus ventriculus, ex ſyncope cor affectum.

5. Ex excretis. Affectus pulmonum ex particulâ ſpongioſæ carnis tuſſi excretâ. Ex fœcibus per vulnus abdominis exeuntibus noſcitur inteſtina eſſe affecta.

CAPUT

CAPUT V.

EX quibus ſignis hauritur Dignotio Symptomatis?

Contabeſcentia ex nutritione diminutâ.

Sanguificatio læſa ex malo corporis colore.

Sic debilis cordis conſtrictio noſcitur ex debili motu impreſſo tangentis carpo.

Ex quibus ſignis prænoſcitur an morbus ad vitam, vel mortem finietur?

Ex quatuor præſertim ſignis prænoſcitur an morbus ad ſalutem vergat, vel ad mortem.

1. Ex morbi ſpecie. Pthyſis, Vulnus cordis, Peſtis, Cancer.

2. Ex magnitudine morbi ad vires ægri: ut morbus magnus in ſe, vel comparativè, qui diu duraturus eſt, præſertim ſi ſimul ſit magnus, talis enim lethalis eſt.

3. Ex motu: ſi longus ſit morbus, quamvis mediocriter ſaltem periculoſus & magnus, ſolet enim talis morbus paulatim vires atterere & mortem inferre.

4. Ex more: morbus qui ex more ſuo dignoſcitur morti tradere, eſt, v. g. peſſima & graviſſima habens ſymptomata.

NOTA.

Contraria ad ſalutem vergunt.

1. Ut Febris Ephemera.

2. Morbus parvus & non malignus.

Ex signis dictis confirmat nonnihil anni tempus: sic solent morbi Autumno & Hyeme esse longiores: Vere autem & Æstate ob materiæ tenuitatem, corporisque majorem apertionem esse breviores.



CAPUT VI.

De Crisi, diebus Criticis, eorumque signis.

Quid est Crisis?

Crisis est subita morbi ad vitam vel mortem mutatio.

Quomodo dividitur Crisis?

In bonam vel malam, in perfectam vel imperfectam: videmus febres aliquando subitò, superveniente sudore vel alvi fluxu, vel hæmorrhogiâ narium, solvi.

Quænam est causa Criseos?

Causa criseos est vehementior influxus spirituum animalium per irritationem in fibras alicujus partis.

Dies critici sunt, ut, Anni Climacterici pro divitibus & avaris: & anni bissextiles pro gravidis.

Hæ sunt meræ fabulæ. Illis diebus non plus tribuendum quam aliis. *Vid. Hippocrat. Aphorismos.*

CAPUT

CAPUT VII.

De Pulsu ut Signo.

IN Physiologia descripsimus pulsum inter actiones; hic eum tanquam signum tractamus: sic enim dandæ sunt quædam ejus differentiæ seu species, secundum quas diversa medico significat. Ast ante omnia hic notatum volo, PULSUM esse rem admodum fallacem, atque ad corporis & animi motus subitò mutabilem, quam ob rem malè faciet Medicus, si simul ac ægrum accesserit, Pulsum ejus exploret, siquidem sola sollicitudo ægri dubitantis quomodo se habere medico videatur, Pulsum immutat.

Quot sunt Pulsuum differentiæ?

Variæ: sed ex illis quatuor Pulsuum notitia medico sufficit.

Est enim Pulsus magnus vel parvus.
Validus vel debilis.
Æqualis vel inæqualis.
Frequens vel rarus.

1. Magnus pulsus est, in quo omnis arteria multum pulsat in longum, latum & profundum.

2. Pulsus validus est, in quo arteria validè ferit tangentis digitum.

3. Pulsus æqualis est, in quo singuli pulsus æqualiter feriunt tangentis digitum.

4. Pulsus frequens vel crebrior est, qui fre-

quenter vel crebris vicibus tangentis digitum ferit.

NOTA.

Ex contrariis causis manant contrarii pulsus, ut sunt.
1. Parvus.
2. Debilis.
3. Inæqualis &
4. Rarus.

CAPUT VIII.

De Pulsu Singulorum Temperamentorum, Ætatum, Sexuum, Temporum, Somni, animique quorundam Effectuum.


HIC necessarium est cognoscere naturales cujuslibet corporis constitutiones, & tunc facile erit concludere differentias pulsuum.

1. Quis pulsus sit propriè temperamento calido, quis frigido, quis humido, quis sicco, item quis calido & sicco, quis frigido & humido, &c.
2. Qualis solet esse pulsus Puerorum, qualis Juvenum, Virorum & Senum.
3. Qualis pulsus sit in Vere.
4. Qualis pulsus sit in Æstate, in Autumno, in Hyeme.
5. Qualis in Somno.
6. Qualis in Ira.
7. Qualis in Tristitia.

8. Qualis

8. Qualis in Lætitia.

9. Qualis denique in Amante, cujus Spiritus inconſtanter movent, modo timent, modo ſperant, modo lætantur, modo triſtantur, ideo illius pulſus eſt inæqualis & inordinatus. Quilibet author vario modo illa exponit, ſed aliquibus illorum perlectis conſtitutionibus obſervatis, quilibet facile ſibi formabit rationales notiones. Quare brevitati ſtudens de iis non amplius agam.



CAPUT IX.

De Urina, ut Signo.

QUid requiritur ad meliorem urinæ inſpectionem?

Agimus hic de urina merè quatenus eſt effectus qui ſuam cauſam in aliqua corporis parte nobis poteſt ſignificare. Sic ergo ſumpta ſignificat nobis vel corporis temperiem, vel aliquid ſpeciale circa ejus partes, quas ſerum continuò omnes profluit, ſiquidem ab illis eſt, quod in ſua ſubſtantiâ, vel qualitate, quibus ſignificat, variatur. Ut autem benè nos doceat urinæ inſpectio, collecta ſit oportet abſolutâ Chylificatione, ſive de die ſit, ſive de nocte.

Quomodo urina Bruti ex humanâ diſtinguitur?

Si quis decipiendi causâ medico urinam bruti aut aliam loco humanæ offerret, non certius illam diſcernet quam ex odore.

An ex urinâ poteſt noſci omnium partium morbus?

Non cujuſvis partis morbus, conſequenter non omnis morbus ex urinâ dignoſci poteſt (aliter aç Agyrtæ quidam mendaciter populo obtrudunt) non enim illi, gratiâ quorum urina non afficitur, ut capitis Vertigo, certæ partis vulnus, Paralyſis vel Luxatio, & multi alii, quamvis interim ex unaquâque parte cum circulante Sanguine aliquid ad renes & inde ad veſicam deferri poſſit.

Quænam potiſſimùm ex urinâ colliguntur?

Maximè ex urina dignoſcuntur conſtitutiones ſive malæ ſive bonæ partium earum, à quibus urina ſuam habet perfectionem & generationem. Hinc urina eſt ſignum Diagnoſticum vitæ vel mortis ut in ſequentibus videbimus, quando varios urinæ colores obſervabimus.

Nonne tamen multum ſignificat urina reſpectu rerum variarum?

Multipliciter urina ſignificat, ut gratiâ coloris, odoris, ſaporis, quantitatis, conſiſtentiæ, & contentorum aliorumque circa urinam obſervabilium.

CAPUT X.

De Urinæ Colore.

QUinam colores in urina præſertim obſervantur?

Præcipui colores ſunt quatuor: Albus, Flavus, Ruber, Niger.

Nonne

Nonne dantur causæ generales colorum in urinis?

Causæ generales colorum in urinis sunt *Calor*, jugiter coquens agensque tam in alimenta in ventriculo & intestinis, quam in Chylum permixtum Sanguini & succum nostrum nutritium, & humor tingens permixtus, aut eorum defectus, qui posterior additur, quod coloris aquosi urinæ causa esse posset, *non dari colorem aquosum*, eò quod aqua colorem non habeat, & sic generatim duæ tantum essent colorum in urinis causæ.

Quomodo probatur calorem esse causam coloris in urinis?

Calorem esse causam Coloris in urinis satis constat: videmus enim illam in Febribus, post æstum Aëris, post labores, post longas vigilias, ubi calor exacerbatur, longa jejunia, diuturniorem retentionem in corpore aut à pastu excretionem, esse coloratam magis urinam.

Si objiciatur urinam quidem illis casibus coloratiorem esse, non tamen ob calorem immediatè in illam agentem, sed quatenus ille calor Bilem generat, quæ permixtione suâ tum urinam tingit.

Respondeo; Verum esse quod plus Bilis tum generetur, quæ cum urinâ confunditur, eamque valet colorare; *At totam suam rubedinem illam contrahere à solâ Bile non admitto*, agit siquidem calor pari vi, & eodem tempore in aquosam urinæ partem, & in materiam quam potest in Bilem evehere.

Quin videmus coctione ad oculum cerevisiam nostratem fieri rubicundiorem; vinum Rhenanum in Hispaniam translatum fieri magis

fulvum, ipſamque denique urinam ſuper ignem coctam multum rubeſcere. Deinde dum hic loquor de urina, intelligo illam non ut corpus ſimplex, ſed ut permixtum cum bile (quæ naturaliter cum illâ excernitur per Renes) aliiſque, & ſic illa objectio parum nobis officit: Verum enim ſic ſemper erit urinam eo modo à me ſumptam, à calore contrahere Tincturam.

Quotuplex eſt urina alba?

Urina alba duplex eſt, una tenuis *aquea* dicta, altera craſſior *lactea* dicta.

Urina aquea & lactea quas habent cauſas, & quid ſignificant?

Cauſa urinæ aqueæ. Primo, Eſt calor debilis, potus nimius. Secundo, Mora inſufficiens in Corpore ob viarum laxitatem; ſic enim debita non fit Chylificatio aut Sanguificatio, ut tingens aliquid urinæ poſſit commiſceri, viarum obſtructio; ut in Calculo Renum videre eſt: Denique *Bilis* ob tenuitatem & levitatem ſuam ad caput delatio, ut in Febribus ſubitò ſubinde fit, *delirium pronuntiat*. Urina lactea habet humoris albicantis admixtionem pro cauſa, v. g. pituitam, Chylum (ipſe vidi *Theologum* quendam qui duas partes vel mediam partem urinæ quotidiè eminxit Chyloſam, mecum teſte *Rich. Blackmore, Eq.* Aurat & medico Regio, &c.) ſemen, pus. de his coloribus vid. *Fernelium, Williſium.*

Quænam eſt cauſa urinæ flavæ, & aliarum urinarum ad illam reducendarum?

Urina flava cauſatur a calore quo Chylus Sanguini commixtus debitè coquitur.

Re-

Referuntur ad hunc urinæ colorem *Palearis, Spicea, Citrina, Sanorum color & urina est, reliquarum urinarum vel Norma* vocatur urina naturalis hominis ſani.

Si caloris gradus ſit intenſior, tum enim tingit linteum colore flavo quod certum icteri indicium. *Urina rubra* fit per admixtionem Sanguinis, vel majorem coctionem. Sanguis urinæ permiſcetur, vel ob tenuitatem, quâ cum ſero renes percurrit, vel ob rupturam vaſis in Renibus, Veſica, &c. *Urina Nigra,* aliæque ejus ſpecies ſignificant, fiuntque per humorum in corpore inſignem aduſtionem vel corruptionem, ſunt Lethales, niſi criſi bonâ expellantur, maximè ea ejus ſpecies quæ livida eſt, viridis non ita, levius enim oriri poteſt à bile viridi, qualis ſæpe in ventriculo noſtro reperitur & evomitur, illi commixta.

N. B. Urina Aëri expoſita mutat colorem.

CAPUT XI.

De odore & ſapore Urinæ.

Naturalis odor Urinæ qualis eſt & quid ſignificat ſi odorem non habet?

Naturalis odor urinæ eſt fœtens, gravis ac Sulphureus: ſi urina odoris ſit expers, moram inſufficientem importat.

Quid ſignificat urina nimium fœtens?

Urina nimium fœtens corruptionem aut exulcerationem ſignificat, niſi fœtentia prævie aſſumpta fuerint; ut Caſeus putridus, Allia, &c.

Nota.

Nota tamen, quod pus urinæ commixtum non ſemper inducit fœtorem.

Qualis eſt naturalis urinæ ſapor?

Sapor urinæ naturalis ſalſus eſt & nitroſus: ſi quis alius ſapor, ex mictione alterius humoris provenit.

Nonne urinæ ſapor ab ægro vel aſſiſtente experiri convenit?

Indignum eſt medico urinam guſtare, ſed ab ipſo ægro vel ab aſſiſtente quodam vel ſervo hoc fieri poteſt, qui deinde *Saporem* ejus medico referat, quo ſic melius cauſa morbi innoteſcat: hoc ſi fieri nequeat, de ſapore nihil loquatur.

CAPUT XII.

De Urinæ Quantitate.

Quid intelligis per urinæ Quantitatem?

Quantitas urinæ eſt vel ejus abundantia vel paucitas.

Quanta debet eſſe urinæ copia in naturali ſtatu?

Copia in ſtatu naturali proportionari debet materiæ liquidæ aſſumptæ, ſic tamen ut nonnihil minor ſit (ſub tripla) ut pars aliqua cedat in nutrimentum, aliqua forſan abit per ſudores, inſenſibilem Tranſpirationem, vel per ſputum, aliqua denique pars in Sanguine ipſius diluendi vel convehendi gratia manere debet.

Quid judicas ex majore vel minore urinæ copia?

Major-

Major urinæ copia, niſi ob frigus Aëris, Tranſpirationem inhibens, aſſumpta diuretica, vel alia extrinſeca: vel poſt Suppreſſionem, Hydropem, Rheumatiſmum, aut Febrium criſin, quî non raro morbi cauſa exturbatur, accidat meatuum urinariorum debilitatem & laxitatem nimiam, ut *cauſam* ſuam ſignificat, & ut *effectum* ſignificat contabeſcentiam futuram, ut in Diabete: minor urinæ copia, niſi ex aſſumptionis liquidi defectu, ſummum indicat calorem, ſerum per halitum, ſudorem, aut inſenſibilem Tranſpirationem diſcutientem, ut non raro in Febribus ſpectatur, vel viarum urinariarum Obſtructionem, ex eâque Hydropem alicujus partis, Rheumatiſmum, *Catarrhos*, anxietatem, aliaque mala ſecutura promittit, prout has vel illas partes occupat.

CAPUT XIII.

De Urinæ conſiſtentiâ.

Qualis urinæ eſt naturalis conſiſtentia ?

Conſiſtentia naturalis urinæ eſt talis, qualis eſt cereviſiæ mediocriter coctæ & fermentatæ, aut Lixivii alicujus mediocriter cocti: ab hâc naturali differunt ſequentes urinæ in ſtatu morbido.

Quotuplex eſt urina illa morbida ?

Quadruplex: Prima eſt *craſſa* ob ſeroſitatis defectum, vel craſſamenti alicujus admixtionem, quales urinas in febrium initiis videmus.

Se-

Secunda, *Turbida* eſt, quæ differt à craſſa, quia poſterior eſt magis perſpicua: Gluten piſcium liquatum, albumen ovi diſſolutum, ſunt craſſa, ſed ſimul perſpicua, ideoque turbidæ dicuntur urinæ.

Quæ eſt cauſa urinæ tenuis?


Tertia eſt *Tenuis urina* quæ fit ex matuum urinariorum obſtructione,& ſic à renum calculo non rarò eſt tenuis, ut ego per experientiam multiplicem in ægrotis meis quamplurimis, calculo renum laborantibus obſervavi, vel à calore debili, qui Chylum non ſatis comminuit.

Quomodo fit perſpicuitas in urina?

Quarta, Perſpicua urina eſt, quum interſtitia inter particulas urinæ ſeroſas minus oppleantur materiâquâdam groſſiore, fitque rara & tenuis, cum poris rectioribus, ſicut radios luminoſos in illam incidentes rectius & liberè magis poſſit tranſmittere

Quænam eſt cauſæ urinæ turbulenta?

Turbulenta urina habet cauſam priori contrariam.



CAPUT XIV.

De urinæ Contentis.

QUid intelligis per urinæ Contentum?*

Urinæ contentum eſt aliquid corpulentum in urinæ ſubſtantiâ obſervabile.

Quotuplex eſt urinæ Contentum?

Duplex: Univerſale ſcilicet & particulare.

Quid

Quid eſt contentum univerſale?

Quod omni ferè urinæ ineſt Illud eſt triplex, Hypoſtaſis, Eneorema & Nubecula.

Quid eſt Hypoſtaſis?

Hypoſtaſis eſt quod fundo ſubſidet.

Quid eſt Eneorema?

Eneorema eſt quod in medio ſuſpenditur.

Quid eſt Nubecula?

Quod ſupremo loco apparet.

Nota. Ex his ſola Hypoſtaſis ſanorum urinæ debet ineſſe, quæ coctionem aliquatenus ſemper adhúc fieri ſignificat, qúæque ſi ſit coloris albidi, figuræ rotundæ ac æqualis, experientiâ optima eſt.

Ex quo & quomodo in urinâ formatur Hypoſtaſis, aliaque ejus contenta & quid ſignificant?

Hypoſtaſis in urinâ, aliaque contenta generalia nihil aliud ſunt, quam plurima quædam minutiſſima filamenta, ſeu oblongæ & teretes quædam particulæ, tam ex Chylo, quam ſucco eo, in quem Sanguis noſter mutatur, antequam in corporis nutrimentum cedit, quas ſerum Sanguinis in ſua, per omnes partes tranſcolatione ſecum rapit, & quæ in urinâ inter ſe à Spiritu ac Materiâ ſubtili commotæ ſeſe invicem ſuis aſperitatibus ramiſque apprehendunt, intricant, & ſic pro majore ſua gravitate, ac corporis, quod per eam conſtituunt, vel nubeculam faciunt, vel Eneorema, vel Hypoſtaſin, ad hoc tamen etiam multum faciente urinæ majore vel minore craſſitie, pro quo nota Sanguinem vel humorem alium, antequam illo nutrimur, verti in humorem aliquem glutinoſum, non abſimilem ovi albumini, poſteaque filamenta, partibus ob ramoſi-

moſitatem ſuam facilè intertexenda, commutari, quodque fibroſæ illæ particulæ Sanguini inſint, patet ſatis illius in aquâ dilutione, mox enim alba quædam minutiſſima filamenta per illam natitare conſpicies, neque enim fibroſæ illù particulæ omnino deſunt Chylo, deſunt enim illæ quarum gratia lac coagulationem init, conſequenter ex urinæ contentis generalibus non noſcimus modo coctionem ultimam rectè vel non rectè fieri, verum & eam quæ in ventriculo fit, vel inteſtinis.

Secundùm, Hæc Nubecula & Eneorema fiunt per hoc, quod ſuccus nutritius non ſit ſatis coctus, neque in filamenta ſatis firma & denſa elaboratus, ſed in leviora & ſpongioſa quaſi, quæ à reliquis partibus ſuſtinentur, vel moratas fibroſas particulas habeat alias, poros ſuos occupantes, quo denſior craſſiorque evadit, ſicut diviſionem ſuam pro Hypoſtaſi facienda non permittit.

Quid denotat rubra Hypoſtaſis?

Hypoſtaſis rubra ſignificat corporis nutrimentum ultro coqui & aſſari.

Quid denotat corrupta & inæqualis Hypoſtaſis?

Talis Hypoſtaſis ſignificat ſuccum nutritium non coqui æqualiter, aut ſaltem non eſſe conſimilis Subſtantiæ, ideoque non æqualiter inter ſe complicabilis.

Si circa quintum, ſextum, ſeptimum, &c. diem in Febribus (*N. B.*) appareat Hypoſtaſis, indubitatum ſignum ſalutis præbet, ſaltem ſi ante non fuerit talis, & Hypoſtaſis non ſit divulſa, ſed quodammodo æqualis.

Similiter in Febribus Eneorema & Nubecula circa diem tertium, ſanationem indicant: quæ magis

magis confirmatur, ſi paulatim incraſſeſcat, & ad Hypoſtaſis naturam accedat, ſunt enim eæ Hypoſtaſeos prænuntium.

An Hypoſtaſis ægrorum differt ætati de qua jam fuimus locuti?

Imo differt quam plurimum, ſæpè enim aliquid materiæ morbificæ commixtum habet, ut: Pus, Sanguinem, Arenas, &c. ſi verò fiat ex excrementis totius, ſolet eſſe coloris albi, fuſci vel rubelli.

Quid intelligis per contentum particulare in urinâ, quæ ejus Species, quid ſignificant, & ex quo formentur?

Talia ſunt quamplurima: præcipua ſunt Calculus, Arenulæ, Pus, Sanguis, Carunculæ, pinguedo, ſedimentum farinaceum ac furfureum, quorum major pars denotat plerumque diſpoſitionem calculoſam in renibus aut Veſicâ. Pinguedo autem corporis colliquationem indicat, tabidorum urinis ſupernatat.

Quantum ad arenulas, non ſunt illæ ſemper fragmenta majoris lapidis vel calculi, ſed concretum quoddam ſalinum in urinâ.

FUN-



FUNDAMENTORUM *MEDICINÆ* PARS QUINTA, SIVE THERAPEUTICA.

CAPUT I.

De Indicatione, Indicante & Indicato:



UID est Indicatio?

Ut medicus rationalis sit, Fundamentaliter ac firmius curet, suas habeat indicationes oportet, quibus de re adhibenda vel non adhibenda edoceatur, indicatio itaque est insinuatio rei agendæ. *N. B.* Considerare rem juvantem, & illud quod juvari debet. N *Quo-*

Quotuplex est indicatio?

Indicatio est triplex.

1. Conservatoria. 2. Præservatoria, & 3. Curatoria.

Quid est indicatio conservatoria?

Indicatio conservatoria est insinuatio conservationis illius quod secundum naturam inest.

Hæc fit per similia.

Quid est indicatio præservatoria?

Indicatio præservatoria est insinuatio præservationis ab eo, quod contra naturam posset inesse.

Quid est indicatio curatoria?

Indicatio curatoria est insinuatio ablationis illius quod contra naturam inest. Hæc sicut & præcedens fit per contraria.

Quid est Indicans?

Indicans est agens in corpore vivente permanens, quod ex sui cognitione remedium aliquod insinuat.

Quid est Indicatum?

Est juvans illud, quod ab indicante indicatur.

Quotuplex est illud indicatum?

Duplex: remedium: & debitus ejus usus.

Remedium illud triplex est, respicit enim quantitatem, locum & tempus adhibitionis: in hisce enim consistit rectus remedii usus.

De coindicantibus, consentientibus, & contraindicantibus, & correpugnantibus lege Authores.

CAPUT

CAPUT II.

De Victus Ratione.

Quid intelligis per Rationem Victus ?

Latè ſumpta eſt Methodus in uſu ſex rerum nòn naturalium pro vario ægri ſtatu obſervanda.

Strictè ſumpta invaluit quod per victus rationem intelligatur maximè ratio in cibo obſervanda ab ægrotis, eo quod præ aliis efficiat, pluſque difficultatis habeat, ideoque hic illam tractabimus.

A quo indicatur ?

Indicatur hæc victus ratio à virium debilitate, eaque non ex oppreſſione, ſed diſſipatione tum Sanguinis, tum Spirituum.

Unde deſumitur cibandi diverſitas ?

Diverſitas in cibando deſumitur a victus formâ, quantitate, qualitate, utendi occaſione ſeu opportunitate, & exhibendi modo.

A quo deſumitur victus forma, & quotuplex eſt ?

Victus forma deſumitur à modo ſubſtantiæ, eſtque ea victus ratio, qua vires citra quantitatis conſiderationem conſervantur ſecundum diverſam ægri virium rationem.

Triplex eſt victus forma apud Medicos, ſcilicet craſſa, valens ſeu firma, tenuis, mediocris.

Quid facit victus tenuis ?

Victus tenuis ſunt diverſi gradus: ut tenuis, tenuior, tenuiſſimus, &c. quorum ultimus per inediam fit quaſi. Poſt hanc ſequitur tenuior, qui fit per aquam mulſam, Ptiſanam, cremorem hordei, jus pulli, panatellam aliquam, pyrum vel pomum aſſum, &c. pro diverſo gradu acutiei in morbis inſtituendi.

Ubi victus tenuis convenit?

Victus *tenuis* convenit in morbis acutis. *Craſſus* corporibus ſanis, robuſtis ac benè ſe habentibus. *Mediocris* morbis diuturnis ſeu chronicis.

An peccatum gravius eſt in victu nimis craſſo, an in nimis tenui?

Reſpondeo diſtinctivè hoc modo: in morbis longis & periculoſis gravius eſt peccare in victu nimis tenui, quam in nimis craſſo: at in morbis acutis è contrario: quod mecum experientia teſtatur, nam nunquam in morbis acutis videmus ægros pejus habere à tenuitate cibi, ſed ſunt qui in tantum deguſtant cibos, ut nihil ferè comedant.

Nunquam tamen ex hoc obſervantur ita malè affecti ac ex cibi plenitudine, ex quâ ſæpe labuntur in graves oppreſſiones, anxietates, vigilias, febris excandeſcentiam, vel caloris nativi ex obruitione debilitatem, ſic ut Sanguis ad nocivam materiam expellendam non ſatis moveatur, quare in Proverbio habent Medici: *Nolo ægrotos meos obeſos fieri.*

Unde quantitas victus deſumitur?

Quod ad quantitatem cibi in morbis ſpectat, plenius æger cibari poteſt morbi initio, dum utcunque melius ſe habet: prope ſtatum autem

vel

vel in ſtatu, nullatenus aut valdè tenuiter ſaltem.

Hoc tamen non in omni morbo obſervandum, quia non in initiis inflammationum, præſertim partium nobiliorum, durante adhuc Sanguinis ad affectam partem affluxu, minus enim tunc ægri cibandi ſunt, ne fluxio augeatur; imo nec in omni morbo ab inflammatione diſtincto, quia non ſi cruditas aliqua in ventriculo vel inteſtinis lateat, quod rariſſimè non accidit, præſtat enim tum parum cibi aſſumere, illamque cruditatem victus parſimonia abſumere.

Hinc Medicis mos eſt, & bonus quidem, morborum initiis parum concedere cibum vel alimentum.

Nihilominus graviùs delinqueret, qui morbi initio nimis parum, quam nimis multum ederet. Contrarium eſt in ſtatu morbi.

Nonne talis affectus poſtulat talem victum, tale temperamentum & talis conſuetudo talem vel talem? Conſuetudo & affectus ſæpe ſibi contraindicant, nunquam autem temperamentum & affectus.

Qualitas Victus præſcribitur ab Affectione, Conſuetudine, & Temperamento, non autem illa indicatur à viribus, quæ tantum indicant cibi ſubſtantiam, ſeu prout nutrit, non autem ejus qualitatem, ſeu prout alterat, eatenus enim eſt medicamentum, vel alimentum ſaltem medicamentoſum.

Intelligitur autem hic per victus qualitatem illa, quæ ineſt ipſi quatenus ſimul medicamentoſo, ut calor, frigus, humiditas, ſiccitas, vis laxans, aſtringens, incidens, &c.

Non autem intelligitur quali as quæ victui ineſt ut alimento ſeu merè cibo, ut eſſe digeſtionis

facilis vel difficilis, ſucci boni vel mali, craſſi vel tenuis, &c.

Itaque affectus victum contrarium poſtulat, conſuetudo autem & temperamentum ſimilem.

Porro conſuetudo & affectus non raro ſibi contra indicant, ut ſi affectus ſit calidus & ſiccus poſtuletque proinde victum frigidum & humidum. Conſuetudo autem ægri in victum calidum & ſiccum, victum frigidum & humidum prohibeat. Tunc autem ad debitam victus rationem inſtituendam conſiderandum unde æger illam contraxerit conſuetudinem, nam ſi illam habeat, quia ab aſſumptis frigidis & humidis malè afficitur, victu medio & temperato uti debet.

Si illam habeat quia victu frigido & humido non quidem malè adeo afficitur, ſed pejus equidem, quam à calido & ſicco, tum victu affectui contrario utatur, tribuendo ſimul aliquid conſuetudini.

Denique ſi victui calido & ſicco ita aſſuetus ſit, ut tamen à frigido & humido nullum patiatur nocumentum, tum liberè victu contrario etiam valido uti poteſt: temperamentum & affectus nunquam ſibi contraindicant: nam affectus ſemper indicat ſui ablationem, per quam reditur ad naturale temperamentum illique indicationi ſemper conſentit.

Unde deſumitur modus in alimentis adhibendis?

Modus cibos adhibendi, hoc eſt an paulatim, an repetitis vicibus, ſignificatur à viribus & morbo: probatur, quia vires vel ſunt debiles, vel mediocres, vel validæ. Morbus adjunctos habet humores multos, vel paucos, vel corruptos.

Vires

Vires autem debiles paucum poſtulant cibum; mediocres quantitatem mediocrem, validæ copioſum. Ubi in morbis vires ſunt validæ, & cum humorum copiâ velut in *Plethoricis*, ibi raro & parum alendus eſt æger.

Ubi vires ſunt debiles cum humorum paucitate aut corruptelâ, ibi parum ac ſæpe cibandum eſt.

CAP. III.

De Venæ Sectione.

AN Venæ Sectio eſt alicujus indicantis indicatum, ac non materia Remedii pluribus Indicatis utilis?

Venæ ſectio, ſeu Phlebotomia, Remedium valde antiquum, omnique Nationi uſitatum, nullo ab Indicante indicatur, ſed eſt Materia remedii pluribus Indicatis utilis.

Probatur: quia ſi ab aliquo indicaretur, eſſet a Plethora, ſed illa non indicat niſi maſſæ ſanguinis diminutionem, quæ fieri poteſt Venæ ſectione, Cucurbitulis, Scarificatione, Hirudinibus, Victus Parſimonia, Exercitio.

Ergo Venæ Sectio non eſt ipſum Indicatum, ſed mere materia remedii, valde generalis tamen; nam pauci ſunt Morbi, in quibus, modo vires conſtent, Venæ Sectio (ut remedii materia) non expoſcitur, ſed præcipuè ubi ſanguis peccat nimiâ quantitate.

Hæc maſſam ſanguinis n. calidam & tenuem intra debitos circulationis limites continet.

Certum enim est Cacochymiam promptius corrigi Medicamentis alterantibus, ac contrariâ Diætâ, quam Venæ Sectione.

Quot Venæ Sectiones Veteres numerare solebant?

Tres, Evacuatoriam, Revulsoriam, & Derivatoriam: *Ego unicam tantum admitto noscoque, & ea est Evacuatoria*, ac sub tali Consideratione præstat omne solitum sibi attribui, nam evacuando partem massæ Sanguineæ, reliquum melius intra vasa & debitam viam Circuli continetur, unde ulterius præcavetur Affluxus aut Inflammatio v. g. in parte dolente, contusa, læsa, &c. item evacuando partem massæ Sanguineæ, venæ proportionatè sunt depletæ, sicque sanguis in parte p. n. extravasatus, ut in Anginâ, Peripneumoniâ, Pleuritide, aliisque Inflammationibus, necdum tamen concretus, aut saltem medicamentis dissolutus facilius in Venas regreditur.

An datur Vena, cujus Sectione specialiter medetur determinatæ alicui parti aut morbo?

Sanguinis circulatione ponderatâ, indifferens est quænam tundatur vena: in affectibus tamen ex menstrui retentione, jubemus venam pedis aperiri, quia multum addit ad menstrui fluxus promotionem. Scilicet per illam Sanguis longè celerius in liberum aërem vel aquam excurrit, quam si alium ante se debuisset protrudere, unde ulterius magis inaniuntur arteria cruralis & iliaca, quas tunc sanguis, sicut etiam arterias uteri ab hâc derivatas in transitu suo celerius involat, ac sæpè obstructiones uteri sic perrumpit.

Quænam Venæ communiter secantur?

Venæ, quæ secari solent, sunt, v. g. in Capite Vena jugularis, Temporalis, Frontis: in Brachio Cepha-

Cephalica, Mediana, Basilica: in manu, Salvatella, Cephalica: in Pede Ischiadica: in aliis Corporis partibus venæ, quæ sunt, non ita patent.

Quâ Cautelâ utendum in Venæ Sectione?

Primo cavendum hic, ne aliquam ex jam dictis venam secando, adjacens Nervus vel Tendo lædatur, ne convulsio, aliaque gravia Symptomata, imo mors sequatur, vel una cum vena subjacens arteria lædatur, hoc enim facile sequeretur aneurisma; item ne vulnus occludendo, sanguinis quid inter ejus labia linquatur, ne inflammatio, aliaque sequantur, sed benè eluendum est & postea ligandum.

Prospiciendum etiam ne temerariè nimis secetur vena in Peste, Variolis, Petechiis, aliisque malignis Febribus; ne malignitas ad ægri interitum in venas inanitas irrepat, ac foras intùs pellatur.

3. Neque etiam in febrium statu, ubi vires non impediendæ, nec in earum frigore, si sint intermittentes, neque etiam in gravidis, præsertim graviditatis initio & fine, saltem in pede, ne fœtus laxius utero alligatus, propriâ sui, vel uteri, ab affluentium humorum copiâ, excludatur ante tempus: in brachio gravidæ, v. s. à tertio ad septimum mensem, minus habet periculi, solentque jam Dominæ multæ eam sub graviditate suâ instituere, putantes hoc fœtus sanitati conferre, neque malus sæpe successus illius videtur. Interim ne quid nimis! id est ne nimiam quantitatem emitte, præstat partitis vicibus.

Senes & pueri non ita ferunt, v. s. eò quod nutrimenti sunt indigi, amissum semel calorem

&

& ſanguinem (bonum ſaltem) non facile recuperent.

Aliquando tamen in Anginâ, Pleuritide, &c. in illis vena ſecatur cum ſucceſſu.

Plus licet educere ex corpore carnoſo quam pingui; item etiam ex gracili, ſaltem ſi non ſit tale ex victus parſimoniâ, labore, &c. Plus enim illa corpora ſanguinis habent.

Quid agendum ut ſecanda Vena melius in conſpectum veniat, ut ſanguis melius fluat, & ne æger patiatur animi deliquium?

Quo melius vena in conſpectum veniat, injiciatur (ut Chirurgis mos eſt) ligatura ſupra locum apertionis, quâ ſanguis venoſus ad cor rediens nonnihil in vena ſiſtatur. Fricari etiam vena ſolet, & manus claudere vel aliquid digitis tractare ægro injungitur: aut ſi in pede, ponitur in aqua tepidâ, quo ſic ſanguis ad illum rarefactum magis effluat, injectâ interim ſuperius ligatura ne ad cor ita removeatur. Ubi tamen vena jugularis vel ſublingualis ſecatur, ligatura non nimis collum ſtringat, ne patiens ſuffocetur.

Secetur vena firmâ manu, non tremente, idq; nonnihil obliquè ſeu ad tranſverſum, ſic enim non ita ſubterfugit inciſionem. Si ſectâ venâ (foramine, ut oportet, mediocri tamen, nam parvo non niſi pars tenuior excurrit) ſanguis non effluat, relaxandum nonnihil ſuperius eſt vinculum, quod ſimul coarctat ſubjectam venæ arteriam, ut ſic Sanguis per hanc liberius, à corde ad apertam venam deferatur, vel patiens tuſſiat, ut motus Sanguinis pulmonum contractione acceleretur.

An

An Venæ Sectioni præmittendum est Enema?

Volunt aliqui Medici Venæ Sectioni præmitti Enema, ut sic intestinorum cruditates evacuatæ, in inanitas venas Meseraicas non rapiantur, ac ob similem rationem nolunt instituere v. s. statim à pastu.

Verum inanis hic timor est, constat siquidem ligaturis, chylum ex intestinis ad cor non deferri per venas meseraicas, sed per sola vasa lactea, multo minus eorum cruditatem, quæ crassior & viscida est, & si à pastu quid mali à ventriculo timendum, est intro sumptorum evomitio facta per hoc, quod cum aliquali etiam in illa Sanguinis & Spirituum vitalium è ventriculo, aliisque intraneis recessu fibræ ejus carnosæ minus inflatæ ac constrictæ ab alimentis ultro expandantur, unde fibrillis nervosis pariter extendendis molestus motus imprimitur, quo Cerebro communicato, illicò insurgunt Spiritus animales, ac impetuosius per nervos in ventriculi fibras evibrati, illum animis coarctant, concutiunt & subvertunt.

Verentur aliqui VenæSectionem instituere diebus Canicularibus: etiam primam Venæ Sectionem aliquem pro prima suæ vitæ vice præ aliis à primo morbo liberare: quid de hisce opinionibus sentis?

Multi non audent secare venam diebus canicularibus, quasi illi dies speciale quid adversi in se haberent, sed præcipuum quod nocere potest in illis diebus est *Calor*, viriumque ex illo dissipatio, unde si contingat, illos esse temperatiores, aut saltem si necessitas premat, vena tundi poterit. Pariter non hic attendendæ sunt obser-

tiones Aſtrologicæ, de quibus in Calendariis, idem fiat, modo neceſſe ſit.

Nolunt etiam aliqui in morborum præcautionem ſibi venam ſecari in Menſe *Maio*, ne anno ſequente, aliiſque idem fieri requiri deberet: ac ſi neceſſarium hoc eſſet, ac ſpecialiter ad hoc tum ſtimularentur, aliaſque in morbum graviorem inciderent, ſed hæ meræ ſunt nugæ!

Nam licet fortè in Maio anni ſequentis pariter Sanguis æſtuet, & corpus diſtendat, ſi tamen v. ſ. omittatur, non ideo certum eſt, morbum ſuperventurum.

Ita quoque putant aliqui ſe prima, v. ſ. à morbo evaſuros, &c. quod quoque ridiculum eſt.

Quanquam omnia fere Remedia ſunt majoris efficaciæ, cum primo adhibentur, quam cum frequenti uſu co pora noſtra illis aſſuefacta ſunt.

An Venæ Sectio ducit à circumferentia ad centrum, an contra? item an refrigerat, & quâ ratione?

Ad *primum* reſpondeo.

Intelligendo de v. ſ. qua Sanguis moderatè emittitur, tempore quo ex incisâ venâ effluit, ob inanitam venam Sanguis celerius in arteriam correſpondentem excurrit etiam poſtea, quia Sanguis ob viam liberaliorem melius in totum corpus diffunditur, unde v. ſ. à corporis centro ad circumferentiam ducit. Fertur tamen à corporis circumferentia ad centrum hâc ratione, quod in venas depletas eæ quæ in ambitu corporis hærent, facile iterum revertantur.

Ad ſecundum, quod in v. ſ. refrigeret, & calefaciat: refrigerat quidem ut in febribus, quatenus accelerando motum Sanguinis ob inanitam venam quam per arteriam celerius in

rectum

rectum moveatur, & si ejus particulæ desinant tam celeriter & confuse inter se agitari, in quo tamen motu confuso & celeri maximè consistit calor febrilis, & per quem partes corporis potissimum alterantur: calefaciat vero in Plethorâ, in quâ cordis igniculus Sanguinis copiâ supprimitur, aut saltem Sanguis ob rariorem per cor transitum, difficilius in corde rarescit & agitatur.

An Venæ Sectioni superdormire licet?

Sectâ venâ per unam aliamve horam somno indulgere non improbo, imo bonum censeo, quia vires recuperat.

Quænam in extracto sanguine sunt notanda; & quæ ex illo dignoscuntur?

In extracto Sanguine observari solent primo, an concrescat, si enim in febri, v. g. non concrescat, maximam ejus dissolutionem & corruptelam denotat.


Extra febrem significat Chylificationem & Sanguificationem insufficienter fieri, ac ulterius esse debilem calorem.

Si Sanguis sit valdè fibrosus & crassus, multum concrescens, signum est roboris, bonæ chylificationis & nutritionis. Si vero supernatat (N. B.) massa quædam instar pultis concreta, coloris albicantis nec variegati non statim clamandum de sanguinis corruptelà, ut solent imperiti, sed sæpè pituita est aut chylus, qui cum Sanguine in quem vertendus erat, circum labatur, isq; tantò frequentius reperitur in corporibus cacochymicis frigidis, quando tardius illa chylificant.

Quan-

Quantum ad albentes illas fibras, quæ in Sanguine aquâ diluto in conſpectum veniunt, non ſunt niſi particulæ pituitoſæ ſeu chyloſæ non ſatis diſcerptæ, ſed ſe mutuo apprehendentes & cohærentes, ut dictum â me eſt, ubi de Sanguine locutus ſum.

Si denique Sanguini concreto multum ſeri ſupernatet, indicatur largior potus prægreſſus, vel imbecillis calor, vel inſufficiens per urinas vel inſenſibilem tranſpirationem excretio.



CAPUT IV.

De Arteriæ Sectione.

N*Onne in Arteriæ-ſection prudentiâ opus eſt?*

Quemadmodum emittitur Sanguis, v. ſ. ita emittitur ab aliquibus Arteriæ-ſectione ſ. Arteriotomiâ. Sed cautelâ hic opus eſt, quamvis enim multi bonum hujus operationis ſucceſſum teſtentur, ac graves capitis dolores alioſque morbos ſublatos me vidiſſe novi, res tamen periculo non vacat, eò quod non ita commodè Sanguinis arterioſi fluxus ſiſtatur, neque facilè adeo hæc inciſio curetur.

Quænam arteria ordinariè ſecatur, & quid agendum ut magis in conſpectum veniat?

Arteria frequentius ſecari ſolita eſt ea, quæ ſupra muſculum temporalem ſita eſt. Aliæ ſunt in fronte, in occipite, manibus & pedibus, & generaliter ubi melius attingi poſſunt. Ubi ea temporum incidatur, quo amplior evadat, liga-

turâ

turâ ſupra locum incidendum leviter ſtringente coarctetur, ſic enim Sanguis per illam tardius movebitur: vel ad initia ſua ligentur arteriæ brachiales, ut ſic Sanguis ad capitis arterias moveatur.

Quantum Sanguinis eſt emittendum & quomodo foramen claudendum eſt?

Sanguis arterioſus, quum venoſo nobilior ſit, magiſque ſpirituoſus, non poteſt in tanta copia, ac hic, neque affatim emitti, alias mox in interioribus notabilis accidit mutatio, unde Syncope, &c. Vulneri imponatur emplaſtrum multum aſtringens & adhærens, vinculum, &c. idque ad octavum vel nonum diem, dum ſolet ſanatum eſſe vulnus.

CAPUT V.

De Hirudinibus.

IN quibus quæſo caſibus utimur hirudinibus in Medicinâ?

Hirundinibus ſeu Sanguiſugis præſertim utimur ubi v. ſ. aut cucurbitulæ ita nequeunt applicari: ut naſo, labiis, pedum & manuum digitis, utero, ano; item pueris aliiſque, quibus parum Sanguinis educi debet.

Quænam ſunt meliores?

Optimæ ſunt, quæ aquam lympidam inhabitant, ſuntque mediocris magnitudinis, coloris hepatici, ventris ſubrubri, dorſi ſubviridis, cum aureis velut ſtricis interſperſis. Reliquæ venenatæ

natæ ſunt, maximè rufæ iſtæ & craſſioris capitis, quæ in aquis impuris degunt.

Quomodo tractandæ ſunt hirudines?

Habent animalcula iſta minutos acutiſſimoſque denticulos, quibus hominum vel aliorum animalium cutem apprehendunt, perſcindunt, illique tempore, quo Sanguinem exſugunt, adhærent. Quo avidius ſugant vel guttula Sanguinis columbini vel pulli parti illinatur, vel ea ad rubedinem fricetur, vel leviter pungatur, neque nudâ manu, ſed linteo nitido tractentur. Ubi adhærent, ſi largius Sanguis emittendus, cauda eis forcipe abſcindatur, ſic enim ex illis, velut ex ſyphone Sanguis defluet. Cavendum ne dentium aliquid in parte remaneat, alias vulnus ferè incurabile, imo aliquando mors ſequitur.

Præſtat igitur illas ſugere donec ſatiatæ ac Sanguine graves ſponte decidant, aut ſaltem eas ſale capiti aſperſo ad delapſum movere, earumq; loco pro educendi Sanguinis copiâ requiſitâ, iterum alias applicare.

Plures queſtiones moveri poſſent, viz. an recenter captæ præ aſſervatis eligendæ ſunt, an exſugant Sanguinem melancholicum præſertim, &c. quas brevitati ſtudens omittendas cenſeo.

CAPUT

CAPUT VI.

De Cucurbitulis.

QUid ſunt Cucurbitulæ, ubi & quomodo applicandæ?

Cucurbitulæ ſunt inſtrumenta quædam, ex vitro, cornu, metallo, &c. confecta, applicandæ ſunt partibus carnoſioribus, quibus firmius adhærent; neque ponendæ ſunt ſuper tendines, ubi irritationes, vel ſuper arterias ubi nimias expanſiones aliquando faciunt.

Applicantur, præcedentibus cutis frictionibus ad rubedinem, panno linteove calido, paucæ vel multæ, magnæ vel parvæ, pro rei exigentiâ.

Quæ ſine igne ſunt, corneæ ſunt vel ligneæ, habentque in fine foramen, per quod Aër, dum ſupra partem ſunt, exſugitur, ac appenſum coreum, quod linguâ ſuper foramen ducitur, quodque poſtea ſuperimpoſito digito ad occluſionem premitur. Quæ cum igne applicantur, eis lini modicum imponitur, quod accenſum unà cum cucurbitula ſtatim parti admovemus. Et ne ſubjecta cutis aduratur aliqui linum Terebinthinâ vel cerâ affigunt fundo cucurbitulæ aut carni à Cucurbitulâ comprehendendæ, aut nummum aliquem imponunt ſuper quem tum linum accenditur.

Quid faciunt cucurbitulæ ſine & cum ſcarificatione?

Sine ſcarificatione quæ fiunt, merè ſanguinem alioſque humores ex profundioribus & circum-

circumſtantibus partibus aliquatenus evocant, ut per rarefactam cutim tantò melius valeant tranſpirare.

Cum ſcarificatione quæ fiunt, ſeu ubi ſubjecta cutis variis prævię incisionibus leviter vulnerata eſt, præter jam dicta hoc habent, quod ſenſibiliter ſanguinem, alioſque humores etiam ad plures uncias evacuent, atque tantò magis, ſi ſcarificandæ præviæ adhuc cucurbitula ſine ſcarificatione impoſita fuerit, ſic enim multò largius Sanguis ad cutem exprimitur.

Quâ ratione agit Cucurbita?

Aër ex illa vel ſuctione vel ab accensâ intus ſtuppâ, quâ nimis rareſcit, quam ut in cucurbitula contineri poſſit, pro parte expellitur. Expulſus ille aër qui in cucurbitulam fortiter adductam carni & adhærentem nequit regredi, neque alium aërem penetrare poteſt, adeoque locum non habet, quo ſe recipiat, quum omnia in hoc univerſo plena ſunt corpore, premere debet carnem ejuſque contentos humores, ut proportionatè ad ſe expulſum, intra cucurbitulam, ubi minor preſſio eſt, aſcendant, & ſic locum habeat à carne & ſanguine derelictnm. Quanto igitur accenſa ſtuppa plus ignis habet aëremque rarefacit, tanto altius caro intra cucurbitulam aſcendit. Unde ab accenſione dudum non expectandum ne aër reſtans in cucurbitula condenſatus denuò exturbatum admittat, & ſic cucurbitula vel carni non adhæreat, vel ſaltem vix operetur.

Nonne committunt aliqui errorem in applicandis Cucurbitulis?

Errant

Errant maximè illi qui linteis calidis fovent teguntque cucurbitulas parti applicatas, quasi sic ſanguis & caro altius in illis elevarentur, nam revera taliter minus elevantur, rareſcit enim calore aër qui in cucurbitula remanſerat, atque carnem reprimit ac extrudit. E contra frigus aëris ambientis aërem in cucurbitula condenſando facit minorem carnis in illâ preſſionem, ac proinde altiorem ejus elevationem, quod (N. B.) manu jam calidâ, poſtea iterum frigidâ ſucceſſive applicatis curioſo cuilibet licet experiri. Cucurbitula non affatim abſtrahenda, dolorificum enim hoc nimis eſt, ſed digito depreſſâ ad latus carne, rima facienda, quâ externo aëri ingreſſus pateat, ſic enim ſtatim ſecedet.

Quis eſt uſus Cucurbitularum in Medicinâ?


Uſus cucurbitularum ſaltem ſcarificatarum plus doloris adjunctum habet quam Venæ Sectionis, efficax tamen eſt, præſertim ad maligni aliquid aut venenati è corpore educendum, nec tam ſubitam corporis inducit alterationem.

Qualis eſt Sanguis qui ingreditur Cucurbitulam?

Sanguis qui ingreditur cucurbitulam optimus eſt, expreſſus ſcilicet ab incumbente aëre ex capillaribus arteriis ſubjectam & circumſtantium partium, imo ex ipsâ earum ſubſtantiâ, ac proinde illæ etiam damnum ſuum adjunctum habent, ſic, ut multum errent Medici, qui dum non audent ægro decem vel xiii uncias, ℣ ſ. educere, & benè ex eodem cucurbitulis xiv vel xvi abſtrahunt, ut ſæpè videtur fieri.

Qua ratione noſtris temporibus ſcarificationes adhuc ſerviunt?

Searificationibus ſeu inciſionibus hiſce ſuperficialibus ſolebant veteres Sanguinem evacuare, totumque corpus deplere, eaſque inſtituebant in ſuris & malleolis, ſed noſtris hiſce temporibus delicatiores tanta nolunt ſufferre tormenta, quare uſum tantum habent ubi cucurbitulis ſanguinem volumus evacuare, & ubi pars aliqua gangrenâ affecta eſt, ut ad illam per dolorem Sanguis & Spiritus largius affluant illique vitam continuent.



CAPUT VII.

De Frictionibus.

QUomodo fiunt Frictiones?

Frictiones fiunt linteo, manu, panno, &c. eæque ad cutis rubedinem, & cum vel ſine dolore.

Putaſne illas frictiones revellere ſanguinem vel humores?

Utebantur illis veteres ad revulſionem, putantes quod ſic Sanguis humoreſque, alias ad caput, v. g. fluxuri, ad aliam partem, dorſum, v. g. velut manu duci poſſent.

Verum nulla hic fit revulſio, neque frictiones in caſu poſito tam profundè operantur, ut humoris alicujus ad caput affluxum impenderent, aut ſi quid ſimile faciant, tantillæ hoc durationis & efficaciæ eſt ut revellentis nomen non mereatur.

Quem

Quem uſum habent Frictiones in Medicinâ?

Lege ſi placet *Cornel. Celſum,* qui totum caput ſatis amplum ſcripſit de Frictionibus: ſed apud me frictiones ſerviunt, ut ad rarefactam cutim ob viam per illam faciliorem ſanguis copioſius affluat, ibidemque ſi quid mali commixtum habeat, illud à ſe per cutis poros dimittat.

Frictiones enim lenes capitis dolores ſedant, & paroxyſmum epilepticum, quatenus *blando* nervoſarum fibrillarum *motu Spiritus demulcentur.*

Fortiores vero & dolorificæ frictiones fibrillarum motu *Spiritus expergefaciunt, irritantque,* ut vehementiùs & rapidiùs per cerebrum ferantur, illudque (ut in vigiliis) tendant: Unde in affectibus ſoporoſis ægri excitationi conferunt. Colligitur ex dictis, Frictiones idem ferè cum cucurbitulis in medicinâ præſtare.

CAPUT VIII.

De Ligaturis.

S*Unt Ligaturæ amplius in uſu?*

Ligaturarum uſus hiſce temporibus multum evanuit, & quod ab illis multi expectant non faciunt.

An revellunt ut putatur in certis caſibus?

Retardant quidem fluxum, vel ſupprimunt ſed non ſiſtunt: utuntur in Hæmorrhagiis, narium, fluxu uteri, &c. Pars diutiùs ligata facilè gangrenâ corripitur.

CAPUT IX.

De Cauterio actuali.

Quid est Cauterium actuale?

Cauterium actuale est ferrum candens, quo Corporis pars aliqua, ab igne, ex eo avolante, subitò secundum suas particulas dissolvitur ac exuritur.

Quem usum habet?

Servit ad arterias læsas occludendas, sanguinisque effluxum cohibendum, in amputationibus, mammæ ablatione, &c. Vid. *Schultetum, Paræum, Fabritium Hildanum.*

CAPUT X.

De Caustico & Vesicatorio.

Quomodo agit Causticum?

Causticum, s. Cauterium potentiale, alias etiam Escharoticum per hoc agit, quod ipsius particulæ & pori ita sint dispositi, ut dum vapores, vel humores corporis se in illos insinuant, materia subtilis in illis inveniat meatus dispositos ut per illos vehementiorem motum ineat, eoque particulas aliquas terrestres rigidas & acutas innatantes impetuosiùs in partes vicinas impel-

lat,

lat, & ſic calorem majorem vel minorem omnia pro ratione motus ſui & particularum motarum corrumpentem vel immutantem producat.

Quem uſum habent cauſtica potentialia?

Inſerviunt in aperiendo thorace, Apoſtemate, aliiſque, ne forcipe vel ſcalpello tam profundè incidatur, tutior eſt apertio & minus dolorifica: abſumit quoque luxuriantem carnem. Cave a nervis, tendinibus & vaſis majoribus.

Quomodo agit Veſicatorium?

Veſicatorium de Cauſtici naturâ eſt, ac ſimili modo agit, niſi quod debilius, quo fit, quod quidem cuticulam non ita diſſolvat: uſus eſt in Febribus malignis & affectibus ſoporoſis, Vid. *Georg. Baglivum Romanum*, de uſu & abuſu Cantharid.

Valent & in caſibus in quibus acre aliquid ex Sanguine excretum volumus.

CAPUT XI.

De Fonticulis & Setaceis.

Quid ſunt Fonticuli, & quomodo fiunt?

Fonticuli ſunt quædam Ulcuſcula, quæ arte fiunt in diverſis partibus. Fiunt illa vel Cauterio actuali, vel ferro candente, cutem perurendo: vel etiam digitis apprehenſam, & à ſubjecta parte obductam forcipe vel lanceolâ perſcindendo, vel cauſtico, poſtea cruſtâ depoſitâ, & cavitate ſatis amplâ piſum vel globulus ex linteo carpto imponendus.

Ubi ſunt collocandi fonticuli?

Locus fonticulorum inter Deltoidem & Bicipitem in brachio: in femore, interius, ſupra genu, tranſverſim duorum digitorum diſtantiâ, &c.

Quem habent uſum?

Humores noxios vel ſuperfluos evacuant, &c.

Quid eſt Setaceum?

Setaceum eſt *Corda Serica*; vel filorum ſufficiens congeries, cerâ illita, quæ per cutem miniſtri digitis, vel forcipe à ſubjacente carne ſubſtractam ignitâ vel non ignitâ acri trajicitur, idque in cervice à primâ uſque ad quintam vertebram, in brachiis, in cruribus, &c.


Quid faciendum à poſito Setaceo?

Præcavenda eſt initio inflammatio, adhibenda ſunt digeſtiva, & corda aliquoties in die à dextrâ ad ſiniſtram, & è contra moveatur, idque donec morbus ceſſaverit.

Nonne

Nonne Setaceum vehementius agit quam fonticulus?

Potentius operatur quam fonticulus, ſed illo longe eſt moleſtius, ideoque vix inſtituitur niſi aliis fruſtra adhibitis.



CAPUT XII.

De Suppoſitoriis.

QUomodo agunt Suppoſitoria?

Agunt ut alia Cathartica, nempe fibras inteſtini recti, quibus & aliæ inteſtinorum fibræ in conſenſum rapiuntur, & influxu copioſiori ad motum periſtalticum auctiorem ſtimulantur, irritando humores, ad alvum irritant.

Quando adhibentur?

Commodiſſimè in febribus calidis, alvum laxam tenendo: & in pluribus ani & inteſtini recti affectibus, quia locus adhibitionis ibidem eſt optimus.

Da mihi formulam unam vel alteram.

℞. Alumin. crud. pulv. ʒß. ſpec. hier. picr. ʒij. mell. ad ſpiſſitu. coct. q. ſ. M. F. Suppoſitoria no. ij. vel

℞. Spec. hier. picr. ʒj. ſal. gemm. ʒß. mell. ad ſpiſſitud. coct. q. ſ. M. Suppoſitorium.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Enemate.

QUid est Enema?

Enema, vulgò **Clyster**, maximè conducit vitiis intestinorum crassorum, ultra enim illa ob valvulam, quæ ad initium coli est, non pertingunt, nisi ea laxata esset, aut motu peristaltico violento raperetur.

Quomodo nocent Clysteres frigidiores aut calidiores?

Nec calidi nec frigidi nimium injiciantur, sed temperatiores sint Clysteres, & tepidi. Frigidiores Sanguinem vasorum mezeraicorum coagularent, quo obstructiones, gangrenæ, aliique pejores affectus orirentur: Calidiores vero, exulcerationes, dolores, fluxum cruentum, &c. in intestinis producerent.

Clysteres sunt magni usus in medicinâ, inservitque aliquando Clyster ut alteret, vel flatus discutiat, vel feces emolliat, vel ut humores viscidos intestinis impactos detergat & liquefaciat, vel ut secuturæ purgationi viam sternat, vel suppressum cum humoribus catharcticum irritando educat, vel materiam revellat, & causas morborum antecedentes tollat: sic in affectibus soporosis conveniunt Clysteres, fortissimè fibras intestinorum irritantes, & orificia vasorum aperientes, quibus humores versus intestina proliciuntur.

untur, qui communiter præparantur ex Colocynthide, Rad. pyrethri, croc. metallor. aliisque antimoniacis, ut menstrua revocet, ut dolores leniat, ut intestina læsa consolidet, &c. ut in Dysenteria.

Unde desumitur ejus quantitas?

Quantitas ejus indicatur, à personarum quibus injicitur, ventriculositate, intestinorum repletione, & à parte, quam debet pertingere.

Si pueris, minor præparatur, quam adultioribus, minor etiam ubi intestina flatibus aut fœcibus distenduntur, denique minor ubi tantum afficitur intestinum rectum, ut in Tenesmo.

Solet autem perfici ad ℥viij. x. xij. vel ℥xiv.

Enemata injiciantur amara in vermibus. Anodina in flatibus & colicâ. Fortiora in Apoplecticis & soporosis. Balsamica & carminantia in torminibus & cruciatibus intestinorum. Emollientia in excrementis induratis. Laxantia, Lenientia, Saponacea, Terebinthinata, in Calculo & arenulis.

Vid. Authores Medicos; *Mynsichtium, Pharmacopœam Batean. Fullerum*, &c.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Vomitoriis.

QUA ratione agit Vomitorium?

Vomitorium, s. Emeticum particulis suis aculeatis inordinatè movet fibrillas nervorum per ventriculum copiosè disseminatorum. Spiritus animales ruunt copiosiùs ex cerebro in fibras ventriculi, motumque, quem in illis ante deorsùm faciebant, jam immutat sursùm, sicque ventriculi contenta motu ventriculi convulsivo, quo fundus ejus & latera sursum ad orificium sinistrum adiguntur, & fibrarum constrictione sursum rapiunt & expellunt.

Quomodo mere nauseabunda & degustantia vomitum faciunt?

Eò quod cum acido ventriculi, saliva aliisque ejus contentis non possint benè commisceri, unde fluctuant in ventriculo, atque tali motu suo & nauseâ quam pariunt, irritant Spiritus ad influxum copiosiorem ex cerebro in ventriculi nervos & fibras, quas tum etiam vehementiùs & præposterè contrahunt.

An omnibus convenit Vomitus?

Non omnes æquè facilè ferunt vomitum.

Sani enim difficilius vomunt, item qui pectoris sunt angusti & depressi Phthisici, Hemophthisici capite dolentes, Herniosi vel ubi ruptionis alicujus periculum est.

NOTA.

NOTA.

1. Vomitoria ſunt majoris efficaciæ quam purgantia, quia ſpicula vomitorii profundiùs inſinuant tunicam ventriculi interiorem ſic fibræ ejuſdem muſculoſæ vehementius contrahuntur & irritantur.

NOTA.

2. Quum maſſam ſanguineam intrarunt non tantum efficiunt quam purgantia.

Quales ſunt qui optimè ferunt vomitoria?

Quibus languet appetitus & vexat nauſea. Quibus cauſa antecedens latet in Stomacho, & qui vomitum facilè ferunt: & ubi Catharctica nihil profuerunt, maximè ubi materia peccans antea medicata fuerit, (ſic viſcida incidentibus, &c.) & ſic datur via ad vomitorium exhibendum.

NOTA.

Crebra & difficilis vomitio ventriculi tonum laxat, viſcera debilitat & caput gravat. Tartarum Emetic. Mynſichti. Hypocecuanna, Vin. Benedict. Oxymel. Gutta Gambæ, Turbit, Mineral. ſunt vomitoria jam apud Medicos Londinenſes in uſu.

CAP. XV.

De Purgantibus.

Quid est Purgans, & quâ ratione agit?

Purgans, ſ. Catharcticum, ſtrictiſſimè ſumptum (ſi levius eſt, ut Caſſia manna, Sena, &c. laxans appellatur) in ventriculum illapſum ab ejus humido & calore ſolvitur, ejuſque partes diſcerpuntur, quibus humores obvii primo diſſolvuntur: hinc aliquæ partes medicamenti tenuiores & magis mobiles, ventriculi fibras vellicando ad inteſtina, & ex illis ad venas lacteas deferuntur, miſcentur ſanguini venoſo, uti chylus, cum eo ad cor conveniunt, & ex corde cum illo per arterias per totum corpus defunduntur, ejuſque humores, particularum ſuarum acutie & motu incidunt, attenuant & detergunt, donec cum illis per ductum cholidochum & pancreaticum, maximè vero per arterias Meſentericas, inteſtina ſubintrant.

Unde inter purgandum graves aliquando fiunt ventris dolores, & ſuperpurgationes, Dyſenteriæ, &c?

Ob partes Catharctici medicamenti craſſiores, quæ lactea vaſa nequiverunt ſubire, inteſtinorum tunicas variè torquent, abradunt, irritant; unde dolores, ſuperpurg. & Dyſenteriæ.

An ullum Catharcticum purgat electivè, vel ullam aliquam partem ſpecialem?

Reſp. Nullum Catharcticum purgat electivè, ſeu nullum ſpeciali alicui humori educendo deſtinatur.

natur. Vanum eſt cum aliquibus æſtimare, quod quæ ex hoc Cholagoga vocant, tantum purgent bilem, Phlegmagoga tantum pituitam, Menalagoga tantum Melancholiam, & hydragoga tantum ſerum.

Certè etiam bonos humores, imo particulas ſtrictè dicti ſanguinis, fortè etiam à ſolidis partibus diſcerptas, aut jam illas nutrituras cathartico educi conſtat ex cadaveroſo humorum expurgatorum odore: immo ex hoc, quod ſi homini valdè ſano propinatur, æquè multum aut fortè plus humorum ejiciat quam æger, cum tamen credibile non ſit, tantam humorum vitioſorum copiam in tam ſano corpore latuiſſe.

Præter humores ſine dubio multi etiam Spiritus ex maſsâ ſanguineâ inter purgandum inteſtina ſubintrant, ſimulque per alvum ejiciuntur.

Unde obiter hic monitos ſemper volui diſcipulos meos, ne leviter adeo ad purgationes confugiant, præcipuè violentiores, quaſi unicum in omni morbo eſſent remedium, cum non fiant ſine aliquo corporis damno.

Quodnam eſt indicans purgationis?

Indicans purgationis eſt Cacochymia memoratu digna, non autem vaga humorum fluctuatio ſeu motus: qui potius v. ſ. cucurbitulis, frictione, calore, ſudorificis, diureticis tolli poteſt.

Quotnam ſunt medico conſideranda ad purgationem inſtituendam?

1. An, & quibus purgatio conveniat. 2. Quæ & qualia ſunt purganda. 3. Quantum, quouſque & quoties. 4. Quo tempore. 5. Per quas vias.

Quibus igitur purgatio convenit?

Imprimis

Imprimis illis purgatio convenit qui ob cacochymiam jam dictam malè habent.

Et quid in his observandum?

Advertendum in his an vires ferant, an corporis constitutio, aër ambiens, cæteraque permittant.

Si æger laboret peste, petechiis, variolis, &c. purgandum non est, alias, eò quod purgatio ab exterioribus ad interiora ducat, mox sudor & transpiratio, per quas felicius maligni morbi curantur, cessabunt, & resumptâ intro materiâ macularum, variolarum, &c. non sine magnis symptomatibus & erosionis periculo præcipitabitur.

Unde colligitur sufficientia virium ad purgationem?

Ad purgationem vires satis validas esse demonstrant pulsus, ætas, sexus, temperamentum, naturæ proprietas, habitus corporis, consuetudo, &c.

Quænam ætas melius fert purgationem?

Inter ætates, media facillimè fert purgationes, difficillimè infantia, post hanc senectus.

Quis sexus melius fert purgationem?

Inter sexus, virilis melius fert purgationem quam fœmineus: sunt tamen fœminæ aliquæ quæ validissima ferunt cathartica, imo vix illis expurgantur, maximè quæ hydrope aut menstrui fluxus laborant retentione.

Quænam consideranda in purgandis mulieribus?

1. Resp. In mulieribus purgandis notandum, illas non esse purgandas tempore quo menstruantur, alias humoribus ad intestina revulsis, menstruatio supprimitur. Item, non temere purgandas

purgandas esse gravidas, ne uteri fœtusque à medicamento irritante abortum faciant.

Tutius enim illas expurgamus â mense quarto ad septimum graviditatis, non ante, quod tunc fœtus validior, uterusque magis expansus ad sui irritationem violentius se moverent & insurgerent.

Invaluit tamen hisce temporibus, gravidas etiam omni tempore expurgari, sed non nisi catharcticis levioribus.

Quale temperamentum expurgatur commodius?

Temperamentum calidum & humidum, habitusque carnosus commodissimè purgantur, non habitus siccus carnosusque.

Nonne aliquando bonum est purgationi præmittere Enema?

Advertendum est benè in Catharctico, an alvus non sit nimis suppressa, sic enim fieri posset, quod Catharcticum gravem noxam intestinis inferret, quare non inconsultum est in *illo casu* Enema præmittere.

Unde dignoscitur quantum, quousque, & quoties sit purgandum?

Si materia peccans pauca sit, & vires validæ, licet illam unicâ vice evacuare: Si vero vires sint debiles, sive materia sit pauca, sive copiosa, satius est illam *repetitis vicibus*, sive per epicrasin, quam affatim educere, sicut etiam ubi materia valde multa est, quamvis vires sint validæ. Considerandus etiam hic situs materiæ peccantis è remotioribus partibus (ut in Arthritide) vel si sit viscida & crassa (ut in Asthmate viscoso) non commodè uno Catharctico, sed plurimum sequelâ,

P

quelâ, ſeu per Epicraſin, ut aiunt, auferenda eſt.

Quoties?

Quantum ad tempora morborum quibus purgandum eſt, ſi de univerſali intelligimus, commodiſſimè purgatur in declinatione, ſæpe etiam in initio, ut in multis morbis nobis mos eſt, antequam vehementius affligant, & dum vires adhuc conſtant, tollere partem cauſæ morbificæ.

Quantum vero ad particularia ad purgationem, præfero tempus intermiſſionis vel remiſſionis.

Quin juvat etiam in ipſo paroxyſmo Emeticum vel Catharcticum exhibere, ſi nempe materia ſit turgens vel valde viſcida, ſic etiam tum magis morâ facilius exturbabitur.

De diebus Canicularibus dicendum, quod neceſſitas non habet legem, neque omne tempus caniculare æque æſtuoſum eſt.

Per quam partem purgandum eſt, & quid hic notandum?

De loco, per quem purgatio operanda eſt, notanda ſunt quatuor.

1. An ſit conſuetus?

2. An via ſit libera & patens?

3. An vicinus loco humorem noxium continenti, & an cum illo habeat communionem?

4. An naturaliter ſit conſtitutus?

E. G.

Unde per partem aliquam affectam, partes alias expurgari non licet, ne amplius pars illa lædatur. Sed non inteſtina per œſophagum, eò quod illorum via excretoria non ſit ventriculus, eaque inſueta eſſet.

Nec

Nec refert quod cum ſucceſſu multo, purgent in Dyſenteria, ubi tamen inteſtina corroduntur, quia equidem illo caſu tunc ſunt in inteſtinis, vel continuò ſaltem ad illa accedunt, unde præſtat illos citò excutere, quam cum majore periculo & damno ibi relinquere.

Poſt aſſumpta purgantia quid agendum eſt?

Sumpto Catharctico blandiore, quò meliùs operatur, illi ſuper dormiendum non eſt.

Multo minus ſi ſit vehemens ac malignitatis particeps, ut ex Colocynthide, Helleboro, &c.

Si tamen ſit medicamentum in formâ ſolidâ, ut in Bolo, maximè in pilulis, illis aliquandiu poteſt ſuper dormiri.

Optimum eſt ſumere ſerum Cereviſiale, vel juſculum tenue pulli Gallinacei, poſtquam jam Catharcticum diſtributum eſt, atque evacuare incepit, ut nimirum reliquiæ ejus eluantur è ventriculo.

Serum cereviſiale vel juſculum pulli non ſit pinguius, niſi Catharcticum maligni aliquid in ſe habeat, ac hypercatharſis, ſ. ſuper purgatio metuatur, alias pro more pinguium vim medicamenti obtundet.

Si quis mane purgatus ſit, in prandio tenuiter & minus comedat, relaxatus enim tum defectu Spirituum, tum vi medicamenti ventriculus victum non conficiet: veſperi vero, ubi omnia melius ſe habent, lautiùs cœnet.

Poſt purgationes Paregorica frequenter præſcribuntur a medicis noſtratibus, ut Sanguinis & Spirituum tumultus ſedetur, ſed hæc Regula in aliquibus ſed non in omnibus obſervanda eſt, alvum enim omnia Paregorica conſtipant.

CAPUT XVI.

De Alexipharmacis atque Sudoriferis.

Recita mihi laudem & defensionem Sudoriferorum?

Sudorifera longè præferenda sunt Catharcticis & Sanguinem detrahentibus sive Venæ Sectionibus.

Quâ ratione agunt sudorifera sive diaphoretica?

Plerumque causam morbificam tollunt placidè, feliciter & sine noxa. Hoc enim videmus in peste, variolis, petechiis, aliisque morbis malignis. Si sudorifera tantum possint in morbis gravissimis, quid non poterint in levioribus?

Scio quod multi medici, quibus vix aliquid præter purgantia, Venæ Sectionem & refrigerantia in febribus in usu est, dicent: Sudorifera calida nimis esse, quam ut in illis tanti effectus existimentur: sed sciant illi, non omnia esse æquè calida, & quamvis aliqua sint calida nihilominus purgantibus sunt tutiora.

Si dicant sudorifera tantum serum educere, non vero crassiores humores; dico ego, cutis tubulos glandulasque tam patentes esse quam eas, hepatis, pancreatis & intestinorum, per quos fit purgatio, adeoque æquè benè per illos posse humores crassos expurgari, præsertim cum sudorifera crassiora etiam attenuant.


Qua ratione agunt sudorifera?

Sudorifera

Sudorifera per hoc agunt, quod calore & tenuibus ſuis particulis humores maſſæ ſanguineæ multum attenuent, incidant, exagitent, rarefaciant, ac ad cutis glandulas & tubulos cum aliis obviis propellant ibidem, in guttas condenſandos, vel inſenſibiliter expellendos.

An ſudor, ab integumentis excitatus, bonus eſt?

Improbandus eſt ſudor ille qui fit ex tegumentorum copiâ, utpote nimis coactus, ægrum gravans, debilitans, ut è contra ab aſſumpto ſudorifero inductus ſine ulla fere moleſtiâ tranſit.



CAPUT XVII.

De Diureticis, ſ. urinam moventibus.

QUodnam Encomium dabis mihi Diureticorum, ſeu urinam moventium?

Urinam moventia, ſ. diuretica, citra omnem incommoditatem, periculum, & commotionem notabilem maſſæ ſanguineæ humores, aliaque ipſis commixta ſecum vehunt: unde præſtantiſſima ſunt medicamenta, ac in omni ferè morbo ab initio adhibenda.

An diuretica aliquam habent communicationem cum ſudoriferis?

In agendi in corpore modo parum differunt à ſudoriferis, attenuant etiam humores craſſos, coagulatos diſſolvunt, ac meatus obſtructos reſerant, idque particularum ſuarum ſubtilitate. Hinc omnia quæ ſudorem movent, ſimul aliquatenus urinam, & è contra, multa urinam moven-

tia movent ſimul leviter ſudorem, vel ſaltem augent inſenſibilem tranſpirationem, differuntq; tantum à ſudoriferis penes minorem activitatem.



CAPUT XVII.

De Expectorantibus.

QUid intelligis per Expectorantia?

Expectorantia, ſeu Bechica, ea ſunt medicamenta quæ juvant ad aliquid è pulmonibus excernendum.

Quomodo agunt Expectorantia?

Aliqua per hoc agunt, quod humorem ſi tenuis ſit, tum in pulmonibus, ut ſic à contractis Bronchiorum ramulis melius protrudi poſſet, tum in Sanguinis maſſa, ne novus affluat, incraſſent, ſimulque tam cum ſaliva, quam cum Sanguine ad interiorem bronchiorum membranam delata, illam humectent, lubricentque.

Alia per hoc agunt, quod humorem nimis craſſum, tum in pulmonibus, ut facilius bronchiorum ramulorum contractioni cedat, tum in Sanguine ut liberius per pulmones tranſeunt, incidant & attenuent, ſimulque particularum ſuarum tenuitate bronchia ad carnoſis membranæ fibris contractionem & expulſionem irritent.

CAPUT

CAPUT XIX.

De ſalivam moventibus, Apophlegmatiſantibus & errhinis.

QUis eſt uſus ſalivam moventium, quænam ſunt ea præcipuè, & quomodo agunt?

Salivam moventia adhibentur non rarò ad Sanguinis maſſam ſero ſuo deplendam, maximè autem humores pituitoſos viſcidoſque, quocunq; loco latitantes, educendos. Præcipua ex illis ſunt *Argentum vivum*, atque alia quædam ex illo compoſita, quæ ſive intus data, ſive tantum extrinſecus illinita potentius humores lentos, imo coagulatos in Lue Venerea ſpectantur educere, ſed cum cautelâ exhibenda.

Sunt autem talia medicamenta, quæ tenuibus ſuis partibus mox ſe inſinuant in glandulas & ſanguinem, in illis quidem tranſitu ſuo poros & tubulos excretorios ex illis egredientes aperiunt, in hoc vero facili ſuo motu & ſubtilitate humores viſcidos dividunt & attenuant, quo ſic ad ſolita ſua emunctoria facilius ferantur, eaque facilius pervadant, unde conveniunt in morbis inveteratis & rebellibus, & generaliter ubi cauſa lenta eſt & latens, vel in ipſis partium internodiis.

Nonne ſalivam moventia per alias aliquando vias operantur?

Salivam moventia, mercurialia ſaltem, non ſemper per ductus tantum ſalivales, ſed non rarò etiam per urinas, ſudores & vehementes ſeceſſus,

evacuant ut in iis ſatis patet qui Luis Venereæ curam ſubeunt.

Solent tamen, niſi error in diætâ committatur, vel vehemens Catharcticum propinatum ſit, magis movere per ductus ſalivales, eò quod glandulæ ſalivales aliis laxiores ſint, & ad humores viſcidos tranſmittendos deſtinati ſpecialiter confirmati & aſſueti.

Qua ratione Apophlegmatiſantia differunt à ſalivam moventibus, & quomodo operantur?


Apophlegmatiſantia à ſalivam moventibus differunt, quod non ita corpori extrinſecus illinentur, aut intus dentur: ſed ſunt maſticata, gargariſata, aut palam applicata, ſuntq; multo mitiora, neque agunt tam profundè, & ſunt talia, quæ aculeatis ſuis partibus, glandulas ubiq; in ore conſitas aperiunt, irritant, & viſciditates illarum ſolvunt.

Qualiter agunt Errhina & quouſqne?

Errhina & naſalia eodem fere modo operantur, quo Apophlegmatiſantia, ſuntque talia quæ irritant, rarefaciunt, emulgentque pariter glanduloſam ſeu ſpongioſam iſtam carnem, quâ nares veſtiuntur, ſicque materiam pituitoſam per illam excerni ſolitam verſus illam proliciunt, ejuſque excretionem facilitant, quæque eorum partes habent tenuiores, cerebrum, etiam ventriculos, per os cribroſum & nervos olfactorios ſubire poſſunt, in iiſque humores attenuare, & ſecum ad nares ducere: ſed cavendum ne aliquando ab his humores in Cerebro affatim fuſi, aliud malum gravius, quam pro quo exhibita ſint, inferant: unde aliquando Cerebrum exonerant, aliquando non, ſicut à me ſuperius dictum,

mu-

mucum narium non omnino venire ex Cerebro, ſed etiam ex partibus narium internis.



CAPUT XX.

De Sternutatoriis.

QUid ſunt Sternutatoria & quomodo operantur?

Sternutatoria ſeu Ptarmica ſunt, quæ interiorem membranam acutie irritant, & magis quidem quam Errhina ſolent, quo motu moleſto in fibrillis olfactoriis excitato, inque totâ reliquâ ſubſtantiâ, ſpiritibus cerebrum inhabitantibus vehementius commotis, & meningibus ſeu membranis cerebri (utpote à quibus narium inferior membrana derivatur) in conſenſum raptis, contingit cerebri membranas, imo ipſam etiam cerebri ſubſtantiam per vices ſe contrahere, & exploſis unâ ſpiritibus, in nervos paris Vagi Diaphragma & muſculos intercoſtales in conſenſum rapi, & violenter Thoracem contrahere, quouſque res irritans excutiatur.

Unde Sternutatoria vehementiora multa mala inferre poſſunt, v. g. Convulſiones, nervorum Obſtructiones, depreſſis ſcilicet ad illos humoribus, aliquando etiam mortem.

Quis eſt eorum uſus?

Solent adhiberi in affectibus ſoporoſis, ut excitatis velut & in motu repoſitis ſpiritibus ægri evigilent, vel ut humores, vias Spirituum ad nervos obſidentes, excutiantur.

CAPUT XXI.

De menstrua, semen, libidinem, Lac, fœtum & secundinas moventibus.

QUid sunt moventia menstrua & semen? Et quâ ratione muneri suo satisfaciunt?

Menstrua & semen moventia ea sunt, quæ particularum suarum tenuitate aperiunt tam in utero, quam in testibus extremitates, insuperque horum tubulosam in maribus saltem substantiam magis expandunt, & sic secuturo sanguini viam sternunt, vel majore fermentatione in massa sanguinea excitata, illum fortius ad arterias uterinas & spermaticas impellunt.

Nonne talia, quæ hæc faciunt, solent esse calida & volatilia?

Imo vero, talia solent esse calida & volatilia, sicque simul acrimoniam quandam in Sanguine adferunt, *ut spiritus petulantiùs* moveantur, simulq; libidinem excitent, præterquam quod majorem copiam seminis stimulantis producunt.

Sed qualia sunt quæ menstrua, semen? & libidinem sistunt?

Quæ astrictione suâ occludunt vias sanguinis ad uterum & ad testes, vel quæ Sanguinis motum imminuunt, & sic eum refrigerant, vel eum vel Spiritus in crassant, vel hebetant, vel temperant; qualia solent esse frigida & minus spirituosa, ea, menstrua, libidinem & semen sistentia sunt.

Quo-

Quomodo agunt lac moventia & diminuentia?

Lac moventia aliqua per hoc agunt, quod intus ſumpta Chylum conſtituant tenuem & dilutum valdè, & ſiç efficiunt ut per vaſa lactea tam abdominis quam Thoracis facilius transferatur, & ad mammas pertingat, eaque ſolent eſſe liquida, nonnihil etiam ſpirituoſa, maximè vero quæ intus ſumpta, vel extrinſecus applicata laxant & aperiunt mammarum glandulas, & tubulos lacteos, ut ſic melius affluentem Chylum admittant.

Contraria Lac imminuunt.

Quomodo agunt fœtum & ſecundinos expellentia, & fœtum ſiſtentia?

Fœtum & ſecundinas expellentia ſunt ea, quæ ad fœtum delata, illum vel acrimoniâ ſuâ irritando ad calcitrationes & agitationes, quibus ſecundinæ rumpuntur, invitant, aut uterum ſtimulando, aut Spiritus animales vehementius in Cerebro agitando, illoſque majore copiâ ad illius fibras ex *Cerebro* proliciendo illum in convulſiones & motus exploſivos rapiunt, ſiſtunt vero fœtum, quæ ſimiles ſpirituum inordinationes compeſcunt, & aſtrictoriâ quâdam vi prædita ſunt.

CAPUT

CAPUT XXII.

De medicamentis calculum frangentibus, flatus tollentibus, & vermes necantibus.

QUID ſunt frangentia Calculum & quomodo agunt?

Calculum frangentia, ſeu Lithontriptica, ea *ſunt,* quæ incidentibus rigidiſque ſuis particulis in eum continuò cum ſero impellendo, eum paulatim atterunt & abradunt, ſaltem quamdiu eſt mollior & ſabuloſus, alias non ita.

Quid ſunt flatus tollentia & quomodo id præſtant?

Flatus tollunt, quæ vel fermentationem, ex quâ flatus ſuſcitantur, compeſcunt, vel eos tenuitate ſuâ attenuant, vel partium, quibus continentur, poros aperiendo tranſpirare faciunt, vel denique viſciditate ſuâ illos captivant, ligantque ad ſe invicem.

Vermes necantia quæ ſunt?

Vermes necant, quæ amaritudine aut ſalſedine ſuâ ipſis adverſantur.

CAPUT XXIII.

De Somnum inducentibus, & Dolorem tam lenientibus quam obtundentibus.

QUid ſunt ſomnum inducentia, ſtupefacientia, & quomodo agunt?

Quæ ſomnum inducunt & dolorem leniunt aliqua ſunt leviora *Hypnotica* ſive ſomnifera, alia fortiora *Soporifera* & *Narcotica* ſive ſtupefacientia vocata, ſuntq; talia, quæ aquosâ frigidâq; ſuâ humiditate vel craſſitie cerebri Spiritus gravant, vel fibrilloſam ejus compagem relaxant, & viſciditate ſuâ Spiritus figunt & ad ſe invicem conglomerant, vel Spirituum vias ad nervorum initia nonnihil opplent, ſic enim non fit debitus influxus Spirituum in organa ſenſuum externorum, aut ipſa organa, præſertim ſecundum fibras ſuas, quæ ad Vigilias vel dolorem à Spiritibus tendi debent, ut ſuper illis impreſſus motus ad ſedem animæ propagetur, non rectè ſunt diſpoſita, adeoque ſomnus induci debet, dolorque ſedari.

Ita agit opium, & omnia quæ ex illo componuntur, vel ad naturam ejus accedunt, ut fumus Lampadis, Candelæ, Carbonum, exhalationes ex aliquibus Anthris, Speluncis; Vapores ex ferveſcente in caveis cereviſiâ, vino, aliaque ſeu inſpirata, ſeu aſſumpta, ſeu mediatè ſeu immediatè ad Cerebrum delata, ſeu denique capiti, vel alteri parti extrinſecus applicata illique ſe inſinuantia.

Quid

Quid ſunt dolorem Lenientia, & quomodo agunt?

Dolorem lenientia ſeu *Anodyna* propriè ſunt, quæ ſuo blando & moderato calore mollibuſq; ſuis partibus humores dolorificos partim diſcutiunt, partim attemperant, & ſic vehementiorem & moleſtum partium motum, in quo dolor conſiſtit, auferunt vel imminuunt.



CAPUT XXIV.


De Spiritum Recreantibus.

QUid ſunt Spiritum recreantia, quot modis agunt, & annon diverſa ſunt?

Spiritum recreantia illa ſunt, quæ vel tenuitate vel volatilitate ſua facilè & citò in Spiritus convertuntur, vel eos jam in Cerebro nerviſque velut torpidos aut minus ſaltem motos, excitant, & in majore motu reponunt, ſive ſint intus ſumpta per os, ut Spiritus vini, aqua Cinamoni, &c. ſive naribus applicata, ut diverſa odorifera & Spirituoſa, ſive temporibus illita, ſive per os Cribroſum, vel viâ Sanguinis ad Spiritus, Cerebri incolas pertingant, eiſque motum impertiantur, ſive denique illos moveant motu, communicato illis qui in nervis juxta ſe invicem collocati ſunt, qui deinde illis mediantibus ad uſque alios in Cerebro transferatur. Recreant etiam Spiritus illa medicamenta, quæ Sanguinis maſſam nimis diſſolvunt, & ad Spiritus ſuos continendos conſtipant firmantque, ut: nonnihil frigida & ſubacida, vel quæ eam nimis ſpiſſam firmamque, & ſic in Spi-

ritus

ritus non facilè resolubilem, attenuant, aut acidum, quod subinde habet vinculum, ejus partes configens, infringunt, ut Margaritæ, lapides pretiosi, oculi cancri, &c.



CAPUT XXV.

De modo agendi variorum aliorum Medicamentorum, usum suum in Medicina habentium.

PER *quod agunt Emollientia?*

Emollientia per hoc agunt, quod partes nonnihil calefaciendo, & humectando, cohærentia dissolvendo, & pro parte dissipando, relaxant.

Per quod Indurantia?

Indurantia per hoc agunt, quod particulas tenuiores & molliores dissipando (ut in Schirro à nimis calidis adhibitis) vel illas retinendo & coagulando (ut in Oedemate à nimis frigidis) partes firmius inter se jungant.

Per quod agunt Rarefacientia?

Rarefacientia per hoc agunt, quod suo mediocri calore difflando vapores & humores, poros partium reddant majores.

Quid Condensantia, Astringentia & Aperientia?

Condensantia per hoc agunt, quod frigore suo inhibeant partium motum, ut collapsæ arctius sibi mutuo jungantur.

Astringentia per hoc agunt, quod talem habeant suarum particularum conformationem, ut corporis partes ad se invicem possint adducere & con-

constringere, v. g. ad formam cuneorum aut fidicularum, ut solent esse frigida.

Aperientia per hoc agunt, quod aculeatis tenuibusque suis particulis profundè partes corporis penetrando, ac in illis humores crassos comminuendo & excutiendo, earum poros & meatus reserent: suntque tam calida quam frigida.

Per quod agunt incrassantia?

Incrassantia per hoc agunt, quod ramosis & crassis suis partibus alias in corpore liquidiore & humidiore ad sese invicem jungant & connectant, & sic illis crassiorem consistentiam adferant.

Ea solant esse potestate frigidâ.

Per quod agunt attenuantia & incidentia?

Attenuantia & *indicentia* per hoc agunt, quod acutis suis partibus humores crassos viscososque perscindant & attenuent.

Per quod agunt Emplastica?

Emplastica per hoc agunt, quod mollibus, flexibilibus, ramosisque suis particulis corporis partibus facilè adhæreant, eas inter se connectant, earum poros occludant, & sic inhibendo effluvia, suppurationem accelerant.

Per quod agunt attemperantia?

Attemperantia alias *Epicerastica* dicta, Emplasticis vicina sunt, aguntque per hoc, quod mollibus & flexibilibus suis particulis, alias acutiores & acriores in humore quodam obvolvant & obtundant, aut si non constent mollibus & flexibilibus suis particulis, saltem quod tales sint, ut acrioris alicujus humoris particulas in poros suos promptè admittant, absumant, & secum avehant è corpore, aut alias suarum particularum duritie & asperitate atterant, obtundant vel infringant, ita oculi cancri, corallia, conchilia,

alia-

aliaque multa duriora & alcalia acidum temperant.

Per quod Detergentia?

Detergentia per hoc agunt, quod duris, aſperis, & acutis ſuis particulis abradant & evertant ſordes in meatibus & ſuperficie corporis in quas impingunt.

Repellentia?

Repellentia per hoc agunt, quod ſua aſtrictione & frigore humorum affluxum & fervorem impediendo, partiumque poros & meatus claudendo, affluentes humores repellant, & ſic tumorem imminuant.

Attrahentia quid?

Attrahentia rectius educentia, ad quæ ſpectant *Pyrotica* ſive *urentia*, & *Veſicantia*, de quibus ſupra actum, per hoc agunt, quod ſummo ſuo calore & ſubtilitate particularum, partis poros aperiendo, & contentos humores rarefaciendo, & foras, quo facilius ob minorem reſiſtentiam moventur, propellendo, quandoque partem tumefaciant & rubificent, quandoque etiam ſuſcitatis pluribus humoribus & vapotibus ad cuticulam cute denſiorem, quam per illam tranſire poſſunt, illam in veſicam attollant imo etiam ſic ſæpè infixos aculeos educant.

Per quod agunt Cathæretica?

Catheretica, ad quæ ſpectant *Philotra*, quæ pilos auferunt, per hoc agunt, quod aculeatis & ſcindentibus ſuis particulis poros partis aperiant, humoreſque in illis contentos attenuent, exagitent, & inſenſibiliter diſſipent.

Quid Maturantia?

Maturantia f. pus moventia per hoc agunt, quod moderato ſuo calore & humiditate, atque aptitudine ad partis poros occludendum, illique adhærendum, Spirituum effluxum inhibeant, ac ſic calorem partis augendo, ſanguinem in illâ extravaſatum ſuppurent.

Quid Sanguinem ſiſtentia?

Sanguinem ſiſtentia ſeu ſtiptica agunt per hoc quod ſuâ aſtrictione, refrigeratione, ſeu exſiccatione, vel adhærendum & obturandum aptitudine, vaſa aperta occludant, vel Sanguinis & Spirituum motum vehementiorem imminuant. Hoc poſteriore modo agunt ſanguinem incraſſantia, opiata & aqua frigida naribus, teſtibus, aliiſque locis applicata.

Carnem generantia ſ. Sarcotica per quod agunt?

Per hoc, quod mediocri ſuo calore & defenſione, partium calorem conſervando, ſordeſque è vulneribus & ulceribus auferendo, cauſent commodum humoris nutritivi in partem influxam, in eamque converſionem his correſpondentem.

Per quod agunt glutinantia?

Glutinantia, quæ deſiccant validius, minus detergunt, ſed aſtringendo potius vulneris recentis labia conglutinant: item *Vulneraria* ſic dicta, quod vulneratis, lapſis & contuſis medeantur, quod in decoctis, potionibus, vel aliâ formâ aſſumptâ, quibuſdam ſuis particulis ſanguinem attenuant, quo melius affectam partem ſubeat, & acre ejus ſerum per renes vel aliter educunt, atque aliis ſuis particulis aſtringunt, & nonnihil detergunt. Item *Cicatriſantia* ſeu *Epulotica*, quæ adſtringendo, con-

contrahendo, *exſiccando* ulcus ſuo tempore obducunt cicatrice. Denique *Callum generantia*, quæ abſtringendo & exſiccando oſſium alimentum convertunt in callum. *Cicatricem delentia* turpem in parte cicatricem emolliendo, ampliuſque calefaciendo corrigunt.

Per quod agunt ambuſtis medentia?

Ambuſtis medentia per hoc agunt, quod ſuo calore & humiditate aperiendo poros partium ambuſtarum, ex illis ſeroſas & acres humiditates evocent, vel quod talem habeant ſuam particularum figuram, ut ambuſtis applicata impediant in illis vehementiorem motum materiæ ſubtilis, vel illas ſaltem detergendo & exſiccando conſolident.

CAPUT XXVI.

De Medicamentis speciali parti & morbo appropriatis & quomodo agant.

DAri posseMedicamenta, quæ uni potius quam alteri parti medeantur, dubium non est, unum enim ob unam diversam particularum suarum dispositionem in alicujus partis poros admitti potest, sicut non alterum, item unum ob majorem suam activitatem effectum suum potest ostendere in parte aliquâ, sic ut alterum hoc non possit.

Pariter dubium non est, quin Medicamentum aliquod magis huic, quam isti morbo expellendo sit accommodatum, hinc diversa Medicamentis nomina obvenere, atque aliud dictum est.

Cephalicum, seu Capiti.
Opthalmicum, seu Oculis.
Oticum, ... seu Auditui.
Arthriticum, seu Artubus.
Pneumonicum, seu Pulmonibus.
Cardiacum, seu Cordi.
Nephriticum, s. *Renibus*.
Cysticum, s. Vesicæ magis appropriatum; *Hepaticum*, *Stomachicum*, *Uterinum*, vel pro diversitatem orbi, cui magis adversatur.
Alexipharmacum aut *Scorbuticum*, *Antiepilecticum*, *Antapoplecticum*, *Antifebrile*, *&c.*

Sed

Sed notandum hic, medicamenta hæc adeo diſtincta non eſſe, ut in effectibus ſuis hic & inde non ſymboliſent: ita Cephalica majore parte ſolent eſſe uterina & hyſterica, & è contra; eò quod affectus hyſterici majore parte ſint convulſivi, ex ſpirituum inordinatione quadam producti.

Ita etiam *Cardiaca* ſolent eſſe *Cephalica*, quia quæ cordi benefaciunt & cerebro.

Et è contra, eò quod cor & cerebrum inſeparabiliter à mutuò dependeant juvamine. Interim Cephalica per hoc agunt quod volatilibus ſuis particulis Spiritus animales in cerebro vel reſtaurent, vel excitent, vel nimis efferre motus, revocent, vel obſtructos in cerebro ad nervos meatus reſerent.

Cardiaca per hoc agunt, quod tenuibus & volatilibus ſuis particulis alacriorem ſanguinis in corde rarefactionem, & in Spiritus exaltationem ciant, ut lapides pretioſi, margaritæ, &c. quatenus acidum maſſam Sanguinis inſpiſſans corrigunt, vel quatenus ubi illa nimis fuſa eſt, ut Spiritus ſuos vix contineant, conſtipant. *Pneumonica* per hoc agunt quod mollibus lenibuſque aliquibus ſuis particulis bronchia lubricent, aliiſque tenuioribus & magis inciſivis viſciditates in illis diſſolvunt, & membranam interiorem ſtimulando illam ad contractionem & excretionem irritent, ſed interim via Sanguinis ad pulmonum bronchia, ſive pro tantillâ aliquâ ſuâ parte immediatè per aſperam arteriam deveniant.

Nephri-

Nephritica & *Cystica* præter *Diuretica* & Lithontriptica (de quibus supra) mollibus & leniter detergentibus suis particulis conveniunt vesicæ scabritiei; etiam ardori & urinæ acrimoniæ conducunt.

Stomachica per hoc agunt, quod ventriculi cruditates particulis suis incisivis eliquent & dissolvant, vel aliquali astrictione fibrarum eum roborent, quo melius contenta sua amplectatur & concoquat.

Hepatica & *Splenica* per hoc agunt, quod non solum particulis suis tenuibus & incidentibus & abstergentibus Hepaticis & Splenis vasa promptè subeant, in iisque vasa aperiant, & cruditates, si quæ sint, alterent; insuper Alcalicis salibus impraegnata, massam sanguineam ubique dissolvendo, acidum destruant.

Alexipharmaca sunt, quæ pesti, aliisque morbis venenatis & malignis medentur, aguntque obtundendo & obvolvendo, vel expellendo veneni particulas acutas & corrosivas, quibus *partes* (intellige *fluidas*) massæ sanguineæ vel coagulabat vel nimis dissolvebat vel *solidas partes* corrodebat, vel attenuando volatilem & figentem glutinositatem, quibus Spiritus in cerebro figebat, pro naturæ veneni varietate. Unde possunt esse calida, frigida, acida, incrassantia, attenuantia, &c.

Antapoplectica per hoc agunt, quod tenuitate & volatilitate suâ Spiritibus in cerebro majorem motum imprimendo, poros cerebri & nervorum aperiendo, & fibrillas tendendo excitent, & cerebrum roborent.

Per

Per quod agunt Antepileptica?

Antepileptica per hoc agunt, quod Spirituum aut materiæ nervorum initia in cerebro vellicantis acrimoniam corrigant, aut illos ab inordinatis ſuis motibus & in nervos exploſionibus in motum leviorem revocent.



FINIS.





APPENDIX.

FUndamentis Medicinæ jam abſolutis, & præcedenti modo examinatis, reſtat ut exinde applices regulas quaſdam morbis (quibuſdam ſaltem) curandis, ut me certum facias te profeciſſe in aliquibus, minimus tunc dubitabo, quin ſuccedes in reliquis: Incipias igitur cum Apoplexia.

Q. *Quando adeſt Apoplexia?*

R. Quando ſubitò tum quinque externorum tum internorum ſenſuum actio, & omnes motus voluntarii abolentur, ſuperſtite pulſu utcunque forti, & reſpiratione difficili, &c.

Q. *Quid ages hoc in Caſu?*

R. Ne adoleſcat malum, ad validiora ſtatim confugerem Medicamenta.

Q. *Præſcribe igitur formulas neceſſarias & rationem dederis cur has & non alias præſcripſeris?*

R. Hoc faciam, & ſic incipio.

1. Mittatur ſanguis illico ad ℥xij vel ultra.

2. ℞ Infusio Croc. metallor. ℥j.
Mell. scyllitic. ℥ß.
Aq. Cinamom. fort. ʒiij.
M. F. Vomitorium observatis observandis assumend.

3. Vomitorio peracto ass. Bolus seq. 6tâ quâque horâ repetend. per iiij. vices.
℞ Conserv. anthos. ʒß.
Pulv. è chel. cancror. comp. ℈j.
Castor Russiens. gr. vii.
Sal. Vol. C. C. gr. v.
Syrup. de Poen. Comp. q. s. M. F. Bolus post Vomitionem peractam sumend. superbib. cochl. iv. vel v. julep. seq.

4. ℞ Aq. Rut. Cerasor. nigror. Lact. alept. aq. poen. C. Bryon. C. an. ℥iß.
Syrup. de poeon. q. s. M. F. julap.

5. Applicetur Emplastr. epispasticum satis amplum & acre inter scapulas.

6. ℞ Sal. vol. C. C. ʒiiß.
Detur in vitro longioris colli, sæpe olfaciat in languoribus.

Q. *Quid observas in hujus Morbi curatione?*

R. Observo ut in aliis morbis fieri debet, quod generalis Curatio hujus morbi nulla dari potest. Oportet enim ut pro varietate causæ, modo applicandi & loci, varia omnino sit curatio. *Lege Fundamenta Medicinæ*, p. 127. & 153. *De indebitâ intemperie, & de motu abolito in Apoplexia.*

Q. *Quid agit Venæsectio, Vomitorium & Epispasticum in præscript. vestr.?*

R. Hisce evacuationibus imminuitur pressio in vasa Cerebri & sequitur derivatio: universalibus evacuationibus Medicus inniti debet.

1. In hoc morbo curand. vid. *Fundament. Medicinæ*

dicinæ, p. 183, 184, 193, 196, 197, 198, 200, 202, 204.

Q. *Enumera mihi cauſas Apoplexiæ?*

R.2. Cauſæ Apoplexiæ habent ne varias claſſes? Claſſes Apoplexiæ ſunt variæ.

Q. *Enumera illas ordine?*

1. Claſſis eſt nativa Corporis fabrica.

Caput magnum.

Collum breve.

Corpus craſſum & pingue.

Temperies Plethorica.

Cacochimia pituitoſa.

2. Claſſis, quæcunque ſanguinem, Lympham, Materiam ſpirituum ita mutant, ut per arterias cerebri liberè circulari non poſſunt, ſed impacta hæreant.

3. Claſſis: Quæcunque arterias ipſas, vaſave cerebri nervoſa ita premunt, ut ſanguis ſpirituſque transfluere non poſſint: hinc his accidere ſolet a lauto valdè cibo, potu, æſtu, motuque exorbitantibus.

4. Magnitudo Apoplexiæ cauſatur ætate, temperie, fabrica ægri, tum vehementiâ ſymptomatum, abſolutâ deſtructione ſenſuum, motuumque, reſpiratione validâ cum profundo ſtertore, ſpumà circa os copioſâ viſcidaque.

5. Levitas & Sanabilitas mali contra diſcernitur ex levitate ſymptomatum, & abſentiâ præcedentium.

Primæ Diei Vespertina Præscriptio.

QUid egisti Vesperi?

Præscipsi seq. Medicamenta.

℞ Sal. vol. C. C. ʒß.

Divid. in duas partes, & sumat unam statim alteram circa mediam noctem.

℞ Emplastr. Cephalic. (cum dupl. Euphorb.) part. iij. galban. colat. part. j. ol. succin. gutt. viij.

M. F. Empl. suppedan. applicand. horâ noct. continuetur usus Boli & julap. Cephalic.

3. In promptu sint Emplastr. vesicator. internis brachiis applicand.

℞ Pulv. Comitis Warwicens. ℈ij.

Castor ℈ß.

Sal. succin. gr. iv.

Syrup. è spin. Cervin. q. s. m. F. Bolus Catharcticus qui in promptu sit cras manè.

Secundæ Diei Prima Præscriptio.

Q. QUid die sequenti egisti cum ægroto tuo Apoplectico?

R. 1. Inveni symptomata aliquantulum mitigata, quapropter hoc modo procedebam.

℞ Decoct. pro Clystere ℥xij.

Benedict. Laxativ. ℥ß.

Spec.

Spec hier. ʒj.
Ol. Rutæ ℥ij.
M. F. Enema injiciend. horâ quartâ pomerid.
Repetantur medicamenta ſupra præſcripta.

Secundæ Diei ſecunda Preſcriptio.

QUomodo progreſſus fuiſti circa Veſperam?
Modo ſeq. præſcripſi.
℞ Diagrid. gr. xij.
Caſtor ℈ß.
Sal. ſuccin. gr. iij.
Syr. è ſpin. C. q. ſ. M. F. Bolus.
Sumend. quamprimum, vel cras alto manè, nî alvus interim reſponderit, pergat in uſu Sp. Cephalic. ſumendo gutt. xv.
In hauſtulo Julepii 6tâ quâque horâ.

Tertiæ Diei prima Præſcriptio.

Q. QUid Die tertio?
℞ Decoct. carminativ. ℥xij.
Infuſion. Croc. metallor. ℥iß.
Ol. Rut. ℥ij.
Spec. luer. picr. ʒj.
M. F. enema injiciend. horâ quartâ pomeridian.
Continuetur interim uſus Boli Cardiac. ſumend. ut antea, cum julap. Cephalic. 6tâ quâque

que horâ: in intervallis usus Boli, sumantur gr. xv. Sal. vol. C. C. in haustulo julepii etiam 6tâ quâque horâ per iii vices.

Et sic procedebam, variatis variandis, & tandem in totum restitui ægrotum.

Sic prædominium Lymphæ extravasatæ frequentioribus & fortissimis hydragogis ad alvum determinatum est, tum dissipantibus applicatis, maxime vesicatoriis largissimis, diu apertis.

Ad recidivam præcavendam medicamenta præscripsi roborantia.

Ab usu potus generosioris sibi temperavit, unchymis & eupeptis usus fuit postea, & sic Sanitati fuit restitutus ægrotus Apoplecticus.



De EPILEPSIA.

Q. QUando adest Epilepsia?

R. Quoties homo subito prosternitur, amissis sensibus externis, internisque, cum concussu violento involuntario musculorum omnium, vel aliquorum, reciproco, alternâ cum requie, & novo paroxysmo.

Morbus hic mirâ facie variatus, sæpè tam mirabilis apparet, ut Diis, Dæmonibus, iræ divinæ, incantamentis, & similibus causis, naturalibus majoribus, adscriptus sæpe fuerit.

Nulla quippe gesticulatio, inflexio, posituraque noscitur quam non aliquando exhibuerit.

Omnes

Omnes tamen hæ varietates tantum verſantur in mutatis motibus aliquarum partium mobilium, adeoque muſculoſarum; ergo tantum ponunt varias muſculorum contractiones; hinc varios liquidi nervoſi influxus; inde variam hujus a ſenſorio communi expreſſionem in nervos, tandem itaque varias cauſas in cerebri medullâ has expreſſiones producentes: quæ optimè noſcentur e narratione harum hiſtorica: Sed hanc ſi tractarem, ſecundum tractatum deſcriberem: Quapropter brevitati ſtudens hæc breviter percurram.

Extractum Mandragoræ, famoſum eſt ſedativum Anti-Epilepticum Knifelii, ad minimum eſt ingrediens valdè proprium.

℞ Pulv. de Guttet. gr. vi.
Confect. de hyacinth. gr. vii.
C. Alkerm. ℈ſs.
Syrup. Crocin. ℈ſs.
M. F. Bolus.

Tertiâ quâque horâ reperend. detur cum cochl. julep. ſeq. & ſuperbib. cochl. iii.

℞ Aq. ceraſor. nigror. ℥iiij.
Poen. C. Theriac. ſtillatit. an. ℥ſs.
Margarit. præparat. ʒſs.
Sachar. alb. ʒiij.
M: F. julepium.


Applicetur regioni umbilicali Emplaſtr. è gumm. Carann. ℥j.

Et Ol. macis per expreſſion. ʒj.

Cum gutt. iv. Ol. baccar. junip. confect. Ægrotus infans erat 8 menſes natus.

Hæc medicamenta obtundunt, contemperant & infringunt acida, & ſolvunt materiam immo-

immobilem. —— Idque ſine novo Corporis æſtu.



De NAUSEA.

Q. QUid eſt Nauſea?

R. Significat irritum vomendi conatum.

Q. *Quomodo ſiſtitur?*

R. Uſu acidi, potu aquoſi, &c.

℞ Aq. roſar. ℥iiij.

Sal. abſinth. ʒj.

Syrup. de Limon. ℥j.

M. pro duabus doſibus, aſſ. & videbis effectum.

Leg. pag. 96, 97, &c. *De Cibo & Potu.*

Item leni purgante exhibito, ut & acido auſtero, fibras Stomachi roborantibus, aut ſi his non ceſſerit; vomitorio dato.

Si oriatur a lenta viſcida materia, quæ in iiſdem locis natando vellicat, tollitur diluendo, incidendo & attenuando.

Si

Si ab inflammatione partium vicinarum, tum non cedit, nisi illis morbis curatis.

Q. *Quid ex his colligis?*

R. Videmus ex his cur (in morbis acutis ubi nausea adest) purgatio vel emeticum initio exhibitum adeo prosit: videmus præterea cur ægri acutis cum febribus conflictati, appetent aquam, acida, fructus horarios, frigida.

Cur, nisi nausea superetur, medicamenta nihil prosunt?

Tales tamen morbi, cum subito, insolito, mirabili appetitu sæpe secedunt.

Purgantia, pag. 206, 207.

℞ Tamarin. ℥j.
Folior. senæ ʒiij.
Sem. anis. foenic. an. ʒj.
Cinamon. ʒß
Coq. in aq. fontan. leni ebullitione.
Colatur ℥iij.
Add. mann. Calabrin. deputat. ʒvj.
Succ. Limon. parum, M.

Vel,

℞ Mann. ℥iß.
Ol. amygd. d. ℥j.
Jalapp. pulv. ℈j.
Omnia hæc in jusculo pulli sumpta admodum benè purgant.

Hora

Hora somni.

Confect. Fracastor. ℈ij.
Acet. acerrimi ℥iß.
Sachar. q. s. sumat in lecto.

Obstructio.

Q. *Quid est Obstructio?*
R. Est obthuratio canalis, transitum tollens liquido, per eum trajiciendo, vitali, sano, vel morbido, orta ex excessu molis transituræ, supra capacitatem vasis transmissuri.
Q. *Qualem methodum requirit curandi?*
R. Stimulantia, roborantia, motumque animalem citatiorem producentia requirit.

Vid. pag. 11, 14, 19, &c.

Porro liquidi spissior concreta moles cum oriatur a variis & diversis causis, etiam pro re natâ varia remedia, variam sanandi methodum requirit: quæ diversitas in singulis morbis indagata, ipsa auxilia & applicandi modum dabit.
Q. *Quid facit Venæsectio in Obstructione?* 183
R. Causas distendentes temperat.
Q. *Quid faciunt potus aquosiores calidi?* 96
R. Diluunt, si hausti, injecti, applicati fuerint.
Q. *Quid faciunt Medicamenta Saponacea in obstructionibus?*
R. Sapones ex alcali & oleo nativi attenuant.

Q. *Ve-*

Q. *Verum quum liquidum in loca aliena pulsum, non penetrabile sit, hincque obstructiones creat, nonne multi & maligni Morbi inde producuntur?* 136
Et non meretur id malum attente perpendi?

R. Immo sane: scimus id factum, si novimus, 1. Causas ejus (quæ ut plurimum satis observabiles) prægressas fuisse. 2. His dein successisse contrarias. 3. Ubi effectus ejus clarè cernimus.

Q. *Quomodo præterea fit curatio obstructionis?*

R. Impactum retropellendo, motu retrogrado in vasa majora. 2. Id resolvendo. 3. Vasa laxando. 4. Suppurando.

Quod fit evacuando humorem, qui, quod impactum est, urget, magnâ & subitâ Venæ-sectione, unde nixu contractis vasis retro-agitur.

Facile plura addere (habita causarum ratione) prudens videbit Medicus.

Virginum Morbi.

Q*Uanta remedia Virginum Morbi requirunt?*

R. Dico quod *sunt nonnulli Morbi Virginibus proprii*, ut methodicè respondeam.

(1). Quo enim tempore fœmineum corpus ad suum incrementum pervenit, in benè facta temperie plus solet conficere Sanguinis, quam qui vasis

vasis contineatur unde Arteriis uterinis fluoris Menstrui nomine secernitur.

2. Si posito corpore in Conditione (1). Hic Sanguis retinetur, oritur plethora, tarditas, gravitas, pallor, dolor lumborum, inguinum, depravatæ functiones omnes fere naturales, vitales, animales; quæ facile deducuntur a vasis nimium pressis, liquido copiosiore, stagnante, suffocato.

3. Ab eodem sanguine sic accumulato sæpe parantur viæ, raris secretionibus menstruis notæ; dum per oculos, aures, nares, gingivas, vias salivæ, oesophagum, alvum, vesicam, mammas, cutim, vulnera, ulcera, exire viderent Medici.

4. Vel & sæpe labefactantur inde omnia viscera, oriturque partim a putredine concepta, partimque a vasis læsis infinitum morborum genus.

5. Cognoscitur his Morbus virgineus. 1. Ab ætate. 2. Incremento Corporis jam perfecto. 3. A Plethorâ. 4. Signis deinde morbi subsequentibus.

6. Pro solutione requirit varia remedia respectu causæ variæ.

7. Inter quas causas pudendorum concretio manum Chirurgi requirit debito instrumento, debito vulnere viam facientis.

8. Cæterum, ubi a stagnante liquido, huic conciliabitur fluor. 1. Fotu, frictionibus pedum. 2. Aperturâ venæ in pede. 3. Purgantibus uterinis datis. 4. Emmenagogis. 5. Emplastris, fotibus, linimentis. 6. Ipsa vasa a Plethora debilitata roborando per Chalybeata & Astringentia.

9. Sub-

Sublatâ his morbi ſcaturigine ſolent omnia fere mala ſponte evaneſcere. Vel curantur ex naturâ, vel curâ ejus morbi, cujuſquam proximè refert imaginem. 35, 109, 70.

De DIARRHÆA.

Quid peculiare habes in Diarrhæa?

℞ Maſtich. ʒiij.
Macis ℥j.
Coq. in vin. rubr. ℔ſs.
Vaſe clauſo, add. colatur. aq. Cinamon. ℥j.
Et ſucc. Cydoneorum parum F. decoctum Stomachicum contra alvi fluxus.

In Infante duorum Annorum.

℞ Spec. pro confect. hyacinthor. ʒſs.
Margarit. ℈j.
M. F. pulv. no. viii.
Sumat jam 6tâ quâque horâ ſuperbib. hauſt. julap. ſeq.
℞ Aq. meliſſ. borrag. ceraſor. nigror. an. ℥iſs.
Poeon. comp. ʒj.
Aq. Cardiac. ℥ſs..
Margarit. præparat. ℈ij.
Sacchar. criſtall. albiſſ. ʒiij.
M. cap. C. ij.
In intervallis.

℞ Rad.


℞ Rad. consolid. maj. ℥ij.
Flor. Rof. rubr. M. ij.
Coq. in f. q. lact. vaccin. ad ℈ij.
F. colatura cujus sume ℥iv.
Cui add. vitell. Ovi No. j.
Confect. Fraucastor. ʒij.
M. F. Clyster. injiciatur horâ quartâ pomerid.

Tandem

℞ Folior absinth. flor. chamomill. an. M. ij.
Cinamom. acut. caryophyllor nuc. Muschat. an. ℥ß.
Infund. in spir. vin. opt. ℔ij.
In colatur. q. f. calefact. imbuatur pannus Wallic. & applicetur calidè abdomini infantis.

Vel,

℞ Confect. Fracastor. ʒij.
Rhubarb. tost. ℈ij.
Nuc. Moschat. ℈ß.
Oc. cancr. ℈j.
Syrup. cidonior. q. f. M. F. Electuar. sive contum sumend. pro re natâ. Hic incipe a posteriori.



De HYDROPE.

Q. QUid est Hydrops?

R. Quando serum aquosum extra vasa fusum, & cavitatibus receptum est, vel & stagnans alicubi vasa sua nimium distendit, Hydrops vocatur.

Q. *Quid*

Q. *Quid est Hydrocephalus?*

R. Hinc Hydrocephalus, colluvie facta inter Tegumenta ipsa externa, inter hæc & cranium; inter cranium & cerebri membranas; inter membranas ipsas & harum duplicaturas; inter has & cerebrum; inter cerebri plicas; in cavitatibus ipsis, sine subitâ tamen morte.

Q. *An posterior species curabilis est?*

R. Illa non est curabilis; reliquæ levi inustione, terebratione, punctura, prudenter lentè adhibitis, simulque hydragogis & roborantibus internis curatur, vel externis discutientibus dissipatur.

Q. *Quid in Thoracis Hydrope notas?*

R. In Thoracis Hydrope, qui ex variis locis lympham colligere valet, eadem fere signa, quæ Empyematis, sed observatio causæ antecedentis discrimen exhibet. Paracenthesis sanat hunc, una adhibitis his, quæ causæ adversantur ejus.

Q. *Sed si Hydatides & vomicæ pulmonum adsint accumulatâ & effusâ Lymphâ, in magnos sinus receptâ, quid tunc?*

R. Hic morbus sane difficilis cognitu est & curatu, nisi alia signa præsentia fortuitam hujus Hydropis curationem petant.

Q. *Quid in Bronchocele agendum?*

R. Aspera arteria anteriori & conspicua parte, quacunque vi Lympham stagnantem colligens Bronchoceles sæpè speciem exhibet, quam cognitu facilem, puncturâ, discutientibus, avertentibus aggredi licet, si observatur, ut Auctores scribunt.

Q. *An Ovaria Mulierum notabili hydropis specie nonnunquam occupantur?*

R. Immo

R. Immo vero, ſed nunquam curatur hic morbus. Varias vidi mulieres ſteriles annoſaſque hoc morbo mortuas.

Q. *Nonne ipſe Uterus aliquando Hydropem patitur ?*

R. Imo in ipſo cavo uterino, ore ejùs interno accuratè clauſo, ſæpè colligitur tanta aquæ copia ut integrum abdomen mentiatur aſcitem: morbus itidem difficulter cognoſcendus ob ſigna fallacia graviditatis; eſt tamen curabilis laxatione oris uterini per fomenta, vapores, uterina adhibita.

Q. *Quid eſt Hydrops* ἀνὰ σάρκα *dicta ?*

R. Quando in toto habitu pinguedinis ſubcutaneæ tota lympha ſtagnat vel effunditur, qui & circum abdomen, & circa ſcrotum eſt.

Q. *Quid eſt Hydrops* ἀσκίτης, *quid* Τυμπανίτης.

R. Dum eadem aqua in duplicaturâ peritonæi, in cavo abdominis, aut in dilatatis glandularum cavis, vaſiſque in abdomine contentis colligitur, Aſcites dicitur, ut & Tympanites ſi vapore rarefacto turget, ab aqua, pure, ichore, aere, clauſis hic putrefactiſve.

Q. *Quid porro ?*

R. Tument pedes præcipue veſperi, augetur Tumor & increſcit: ſequuntur Dyſpnœa, Sitis, Gravitas, Torpor, Alvus dura, Urina pauca, Febricula lenta, Sudor nullus: Tumor ſcroti, Hydatides, Ulcera, Gangrænæ, Hæmorrhagiæ narium: Exomphali: Viſcerum Sphaceles, Mors.

Q. *Quomodo curatur Hydrops ?*

R. Debemus conciliare Lymphæ liberum fluorem, debemus aquas in cavitates effuſas inde educere. Labem debilitatorum viſcerum tollere debe-

debemus per vina chalybeata roborantia & leniter reſtringentia.

Lege Pharm. Batean. clariſſ. D. *Fulleri* Medic. extemporan. Utere Parathenceſi in hydrope recenti, &c.

℞ Gutt. gamb. diagrid. reſin. julapp. Mercur. d. an. gr. xv.
Cremor Tartar. ℈j.
Syrup. 5 ſpin. Cervin. q. ſ.
M. F. Boli no. ij. pro duabus doſibus.
℞ Rad. Valerian. iris noſtr. Ebul. rec. an. ℥ſs.
Rad. Raphan. ʒvj.
Fol. ſen. ℥ſs.
Mechoacann. ʒij.
Cinerum Geniſt. ℥iij.
Stent in Infuſion. per horas 49. in loco frigido cum Vin. Rhenan. ℔ij.
Colatur. add. Sal. Tartar. ℥j.
Sal. vol. Tartar. Sennerti ʒiij.
Ol. Chamomill. chymic. ℈j.
Inſtill. Ol. Saccharo, miſceatur in Mortar. & ſic addatur reliquis.
Doſis ℔ſs.
Singulis vel alternis auroris pro viribus ægri, &c.

℞ Caſſamum ver. ℈j.
Sal. Viperarum ℈ſs.
Serpentar. virg. gr. v. cum Syrup. e ſucc. Kerm. q. ſ. M. F. Bolus.
Sumend. ſingulis noctibus ad ſudores provocandos.

Le Lue Venereâ.

Q. *QUæso compendiose describas Luem Veneream, ejus signa & methodum curandi?*

R. Pro viribus meis respondebo desiderium vestrum.

Dico igitur quod Lues Venerea contagiosa est, Generatione, lactatione, sudore, liquido genitali, exhalatione.

Ex quâ parte contrahitur, primò se manifestare solet.

Neque a non infecto, vel non infecta, eodem hoc morbo, nunquam orto deprehensa est.

Pars infecta pruritu, calore, leni inflammatione, pustulâ subalbâ, squammosâ, erodente, mucosâ, insanibili vulgatis remediis, cognoscitur primo.

Hinc crescendo vicina primo, & plerumque externa, inficit similibus pustulis ulcerosis, dehinc interna, labia, gingivas, palatum, linguam, fauces, nasum, cerebrum, pulmones, hepar, lienem, uterum, &c.

Quæ stillant saniem mucosam, lentam, subviridem, carnem erodentem, in latum magis quam profundum proserpendo.

In pene extremo Cancri: in interno Gonorrhea: in Vagina fluor dictus albus.

Et in viris, membri inflammatio ingens, brevi in gangrænam soluta.

Tum testes tumidi, dolentes, sæpe in ulcerationem abeuntes, inflammatorio Tumore ad vesiculas seminales orto, ut & carunculæ, stranguriæ: Erosio urethræ, prostatarum colli vesicæ, vasorum seminalium; similia mulieribus.

Hinc fertur in membra cum dolore nocturno medios artus occupante, ut & flexurarum rigiditate.

Unde in Cartilaginibus, nasi maximè, & palati erosio.

Mox media ossa occupans, caries producit, præcipuè in cranio.

Tumque superpositæ partes in Apostemate assurgunt pessima.

Quin & in Tophos duros elevat, dolentes obscure, sensim acutiùs, tumque & superimposita corrumpentes.

Unde facile constat de signis, quibus morbus hicce cognoscitur.

Q. *Quomodo hæc curantur?*

R. Gonorrhea curatur *Balneo*, E. g.

℞ Herb. virid. malv. parietar. Atriplic. Bismalv. an. M. ijß.

Flor. Chamomill. M. ij.

Melilot. aneth. an. M. ijß.

Sem. lini contus. ℥iv.

M. junctim sacculo inclusa.

Capitis ovis mactati cum lanâ confract. demptis oculis, linguâ & cerebro.

Coq. in s. q. aq. Fontan. F. semicupium.

2. *Fotu*: E. g. ℞ Rad. Raphan. graminis petroselin. an. ℥j.

Herbar. Cherefol. foenic. gramin. petroselin. an. M. iß.

Sem. apii foenic. petroselin. carv. anis. baccar. junip. contus. an. ℥vi.

F. sacculi no. ij.

Aq. & vin. an. part. æq. incoquend. & vaginæ tubis & partibus genitalibus alternatim applicentur.

3. *Injectione.*

℞ Decoct. ♀rii d. q. s. mellis q. s. M. F. injectio in Gonorrhæâ.

4. *Purgatione Mercuriali* sæpius repetitâ.

℞ Extract. Rud. gr. xv.

♀rii d. ℈j.

Extract. Trochisc. Alhand. gr. iß.

Vel gr. iij.

Essent. croc. & Tereb. Venet. an. q. s. F. pil. in Gonorrhæâ.

5. *Emulsionibus.*

℞ Amygd. d. no. viii.

Sem. melon. pepon. papav. alb. an. ℥ß.

Aq. hord. ℔iß.

Cum s. q. Sacchar. cand. F. s. a. Emulsio.

6. *Balsamicis.*

℞ Tereb. de Chio. ʒj.

Succin. alb. Bals. Peruvian. copaiv. an. ʒß.

Glyzyrrhiz. pulv. q. s. M. F. mediocr. magnitud. vel,

℞ Bals. copaiv. ℥iij.

Vitell. ovor. No. ij.

Syr. Bals. vel alth. ℥ij.

Vin. alb. ℔ß. M.

7. *Ab-*

7. *Abstinentia ab omni* cibo potuque lauto, & ad venerem stimulante, victu contra potuque tenui.

8. *Persistendum in Curatione*, donec nihil amplius insoliti ex pene exstillat, vel in urina se manifestet.

Inflatio P—— tollitur cataplasmate anodyno, discutiente, emoll. fotu simili, v. s. larga, & dictis supra.

Bubones Venerei tolluntur dissipando per emplastra specifica, suppurando, si hæc non prosunt, & aperta depurando.

Testis Tumidus fovendus similibus; si urget sanguis, educendus ex brachio; emplastro quoque scroto applicando levandus: ut est emplastrum de ramis cum Mercurio, crocatu Mynsichtii, &c. donec redierit in statum planè naturalem: cæterum extirpandus.

Pustulæ & *Cancri dicti* Mercurialibus erodendi ad vivum usque, tum sensim lenioribus sanantur iisdem.

Semper autem utendum (N. B.) iisdem ferè internis ac (No. 1. 2. 3. ad 8 in margine) præscript.

Fluor albus in mulieribus curatur iisdem 1. 2. 3. & in marg. notatis.

Sed præcipue fotibus detergentibus, validis & mercurialibus.

Ubi vero pustulæ ubique dispersæ, dolores artuum, nocturni labores, bubones magni, salivatio mercurialis requiritur.

De hisce lege morbos contagiosos in fundamentis meis, pag. 129, 130, 131, 132.

De FEBRIBUS in genere.

1. FEbris, frequentissimus morbus, inflammationi individuus Comes, plurium Morborum, Mortis, & sæpe Sanationis optima causa, nunc explicanda.

2. Cujus, quia abdite habetur natura, summâ ope cavendum ab omni Errore, in illâ indagandâ.

3. Errori tamen facilem hic occasionem præbet ingens numerus Symptomatum, quo plerumque stipatur, & sine quibus tamen Febris esse potest.

4. Ut ille vitetur Error, opus erit ex infinitis (3) *illa* Phœnomena *sola* eligere, quæ omni Febri semper adsunt; quorumque cognita præsentia omnes Medicos docet, Febrim adesse, quorum absentiâ judicant hominem à Febre immunem esse.

5. Deinde ex his detectis (4.) ritèque expensis, natura Febris individua invenienda erit.

6. In omni Febre *horripulatio*, *pulsus frequens*, *Calor*, vario Febris tempore, vario gradu adsunt.

7. In qua Febre hæc tria (6) frequenter & cum periculo decurrunt, illa Febris *acuta* dicitur.

8. Ubi tardè, idque cum periculo, vel sine eo, *Lenta* vocatur.

9. Utraque (7. 8.) communis ſive Epidemica, vel huic illive homini ſingularis.

10. *Acuti Febriles* morbi vocantur, quos dicta Febris (7.) comitatur, *Chronici Febriles* autem in quibus adeſt Febris (8.)

11. Hinc illorum omnium (10.) explanatio pendet a cognitâ priùs Febris naturâ.

12. Quæ petenda ex conſideratione trium Communium Symptomatum (6).

13. Quæ (6.) quidem in omni Febre adſunt, ſed ſola frequentia pulſus adeſt ex his omni Febris tempote, ab initio ad finem, eâque ſola Medicus præſentem Febrem judicat.

14. Adeoque quicquid de Febre ſic novit Medicus, id vero omne frequentiâ pulſuum ſolâ cognoſcitur.

15. Cauſa ergo frequentiæ hujus (14) proxima eſt pariter cauſa Febris, ſic cognitæ, proxima.

16 Ergo frequentior Cordis contractio.

17. Ergo frequentior reciprocus influxus liquidi Venoſi & Cerebelloſi in Muſculum & cava Cordis.

18. Omnis ferè Febris, hactenus obſervata, quæ à causâ internâ oritur, incipit primo, cum ſenſu Frigoris, concuſſionis, horripulationis, majori, minori, brevi, diuturno, interno, externo, pro varietate Subjecti, Cauſæ, Febris ipſius.

19. Quo tempore (18.) frequens, parvus, ſæpe intermittens pulſus, pallor ſæpe extremorum, frigus, rigor, tremor, inſenſibilitas.

20. Unde liquet, ſtagnare tum humores Sanguineos in extremis vaſculis, & ſimul tamen cauſam Cor irritantem (17.) adeſſe.

21. Ex quibus (20) causa omnium Phœnomenωn (18. 19.) tum apparentium intelligitur.

22. In omni Febre, his (18. 19. 20.) prægressis oritur Calor, major, minor, brevis, diuturnus, internus, externus, universalis, vel loci, pro varietate Febris.

23. Qui (22.) quum sequatur Febrem jam natam, patet magis ejus Effectum quam Causam esse vel naturam.

24. Adeoque frequentior Cordis contractio, cum auctâ resistentiâ ad capillaria, Febris omnis acutæ ideam absolvit.

25. Horum vero (24.) utrumque in animali vivo produci potest ab causis numero & varietate infinitis; tumque vel simul, vel seorsum fieri; unoque nato, facile alterum sequetur.

26. Quare Febris causa proxima (24). infinitas Causas pro suis proximis agnoscit.

27. Quæ tamen dividuntur, quod vel singulares sint cuique; vel universales; pluribusque communes, quæ plerumque aëri, victui, vitæ eidem debentur.

28. Ergo Febris causæ singulares sunt, vel Epidemicæ.

29. Propriores singulares causæ (26.) referri possunt ad quædam Capita. *α*. Ingesta acria, Cibi, Potus, Condimenti, Medicamenti, vel veneni titulo; eadem donata hâc proprietate, ut digeri, moveri, excerni nequeant; ut eâ copiâ assumpta, ut irritent, suffocent, obstruant, putrescant. *β*. Retenta intra Corpus, quæ excerni solebant, ob frigus animi, affectus tristes, Cibos, Potus, Medicamenta, Venena, Quietem, Exercitia solita remissa, Obstructiones, *&c.* *γ* Gesta, ut motus nimius Animi vel Corporis,

Calor,

Calor, Æſtus. ᵹ. Applicata externa, acria, rodentia, pungentia, lacerantia, urentia, inflammantia. ε. Quæ humores eorumque Motus valde immutant, ut multa externa vel interna, Fames, Evacuatio, Pus, Aqua, Ichor Hydropicorum, Empyicorum, Serum acre alicubi collectum, Bilis accenſa, Inflammatio, Suppuratio, Gangræna, Cancer, vigiliæ nimiæ, acriora cujuſcunque rei ſtudia, Venus nimium culta, *&c.*

30. Febris effectus, celerior liquorum expulſio, propulſio, ſtagnantium agitatio, omnium permiſtio, reſiſtentis ſubactio, coctio, ſecretio cocti, criſis ejus, quod ſtimulo & coagulo Febrem produxerat; Sanorum mutatio in morboſam indolem, aptam ferre ea, quibus minus aſſuetus erat æger; ſitis, caloris, doloris, anxietatis, debilitatis, laſſitudinis, gravitatis, ἀνορεξίας productio.

31. Quo lentor citiùs ſolvendus (20.) & irritatio brevius ſopienda (17.) eo febris levior, brevior, magis ſalutifera, & contra. Quin etiam pro vario utriuſque gradu, & concurſu, varia erit.

32. Atque hinc Febris ſæpe medicamenti virtutem exercet, ratione aliorum morborum.

33. Hinc principium, augmentum, ſtatus, declinatio, criſis, mutatio, ſanatio febris, varia ſunt in ipſis acutis & ſingularibus.

34. Febris deſinit in mortem, alium morbum, atque ſanitatem.

35. In mortem, vitio deſtructi per nimiam vim ſolidi; aut pacato liquidi ita depravati, ut vaſa obſtruat vitalia, aut ea, per quæ nova liquida

quida in locum perditorum ingeri debent. Hinc inflammationes, ſuppurationes, gangrenæ febriles in viſceribus vitalibus, corde, pulmonibus, cerebello; vel ulcera aphthoſa in primis viis cauſa frequens mortis ex febre.

36. Inalium morbum deſinit, dum vel agitatione nimiâ vaſa lædit, & liquidiora diſſipans reliqua inſpiſſat, vel nimis debili actione impar eſt reſolvendo ſuâ vi coagulato; vel deponendo materiam criticam in vaſa quædam obſtructa, dilatata vel rupta; hinc maculæ rubræ, puſtulæ, eryſipelas, morbilli, variolæ, phlegmonæ, bubones, parotides, abſceſſus, gangrenæ, ſphacelus, ſcirrhus.

37. Terminatur in ſanitatem; primò, quoties materialem febris cauſam ſuâ vi ſubigit, ſolvit, mobilem reddit, inſenſibilis perſpirati ſpecie expellit, ſimulque impetum ſuum æquabili circulatione redditâ, ſopit. Hæc eſt reſolutionis via ſimilis fere in toto, ut prius dictum de parte (29.) Aut etiam ſecundò, ſi materia mali ejuſdem vi febris ſubactâ, ſoluta, mobilis reddita, tamen aliquam retinet dotem, quâ æquabili circulationi repugnat, vaſa ſtimulat, hiuc excitatâ ſenſibili quâdam evacuatione expellitur; hinc ſudor, ſaliva, vomitus, diarrhæa, urina, poſt coctionem & ſtatum, fere intra quatuordecim dies factâ criſi.

38. Tandem ſi materies mali ejuſdem vi febris ſubacta, ſoluta, morbis reddita, ſanis iterum aſſimilata humoribus fluit ſine ulla criſi, aliove modo.

39. Genius, diſcrimen, duratio febris acutæ, ſi obſervantur ab initio, per adſcenſum uſque ad

ad statum, docent ejus exitum, mutationem, finem.

40. Ideoque ex omnibus his (1. 40.) generalia diagnosios & prognosios in febribus facilè elici queunt.

41. Curatio optima febrium generalis obtinetur, si 1. Vitæ ejusque viribus consulitur. 2. Acre irritans corrigitur, expellitur (17.) 3. Lentor dissolvitur, expellitur (20.) 4. Symptomata mitigantur. (30.)

42. Vitæ & viribus consulitur, cibis & potibus fluidis, facilè digerendis, putredini adversis, siti contrariis, appetitui citando idoneis, causæ morbi cognatæ appositis.

43. Cibus dandus eo tempore, quo abest febris, aut quo ejus impetus saltem erit lenior.

44. Et quidem copiâ parcâ, sæpe repetitâ: ne nimis laborare cogantur viscera mutenturve.

Copia determinatur & vis cibi. 1. Ex prævisa duratione febris (31, 32, 33, 39, 40.) ad dies. 1, 4, 7, 9, 11, 14, 21, 30, 40, 60. Debet enim tantum dari quo vires sustineri queant, ut sufficiant coctioni & crisi. Quo brevior morbus, eo minus & debilius offerendum, & contra. 2. Ex ætate ægri cognita; quo enim origini propiora vel senectuti summæ, eo difficilius inediam ferunt animalia. 3. Status & vehementia si cognoscuntur, varium copiâ & virtute cibum postulant: in ἀκμῆ tenuissima & pauca; in adscensu & descensu eò plus & meraciùs dandum, quo magis ab eâ distat morbus. 4. A loco quem æger incolit, qui enim æquatori vicini tenuem victum

victum facile, polis autem propiores difficulter eum ferunt. 5. Ab anni tempestate, quum ætas tenuissima, hyems validiora petat. 6. A consuetudine ægri, & temperie ejusdem naturali; qui enim sanus lautissimus usus ea facile difflat, æger pluribus eget ob vasa & viscera his assueta. 7. A sensu levi, vel grave assumpta sequente.

46. Acre irritans externè hærens (ut vitri, metalli, ligni, lapidis, ossis fragmenta acuta aut stimulantium, vesicantium, causticorum, venenorum applicata) cognitum, quantocyus auferendum: dein ille locus, cui inhæserunt, & læsus inde est, fovendus erit lentis, mucosis, oleosis, blandis; anodynis, leniter aperientibus.

47. Acre irritans internè hærens(ut inflammationis, suppurationis, gangrænæ, sphaceli, cancri, cariei ossis, ichoris, puris lymphæ acris & stagnantis acrimonia) tolli, vel corrigi debet juxta leges Artis.

48. Acre irritans in ipsa liquida inductum, usu sex rerum non naturalium tolli vel corrigi potest, & debet pro suâ indole variâ cognitâ, variis auxiliis.

1. A motu nimio; quiete corporis & animi, humectantibus, diluentibus, blandis lenientibus.

2. A nimio calore Aëris; temperando illum exhalatione frigidæ, maximè plantis nonnullis, huic negotio propriis, potu aquæ subacidæ leviter nitrosæ, cum vini subaciduli pauxillo, cibo subacido, leviter demulcente, parum solito; medicamentis vero similibus.

3. A

3. A nimis humido Aëre, largo foco ex aromaticis resinosisque lignis, exhibitione aromatum.

4. Ab Aëre acri putrefaciente; hunc emendando accenso nitro, pulvere pyrii, vapore aceti, sale prunis insperso.

5. Ab animi affectibus; hos sedando ratione, contrariis affectibus, varietate objectornm, anodynis, opiatis.

6. A cibis acribus acidis; id acre diluendo, demulcendo, absorbendo, immutando in salem compositum; aquosa, gelatinosa animalium, oleosa, crocacea, ostrocodermata, lapides animalium, terræ pingues, sales alcalini fixi, volatiles, simplices, compositi id efficiunt.

7. A cibis copiâ peccantibus, stomachum constringentibus; dilutione, inediâ, vomitu, solutione alvi.

8. A potu acri fermentato, vel fermentanto tollitur iisdem remediis (No. 5. 6. hujus.)

9. A nimiâ vigilia; curatur iisdem (No. 1. 2. 5.)

10. Si a retentis intra corpus excrementis, hæc reddenda fluxilia; viæ lubricandæ, emissaria aperienda; vires expellentes stimulandæ, augendæ; hæc facienda per externa, interna.

49. Emissaria aperiuntur, solvendo impactum, laxando obstructum; id balneo, fotu, frictu, abrasione pilorum, mundatione cutis fit, epispasticis, alexipharmacis.

50. Id quod ad extrema vasorum conicorum stagnat ex nimiâ sanguinis copiâ, quâ vasa comprimuntur, reducitur in fluorem imminutâ san-

ſanguinis copiâ per ſectionem venæ; id docent ſigna plethoræ. Vid. *Fundament. Medic.* p. 183.

51. Quod ibi hæret ad extrema capillaria ob fibras horum ſpaſmo contractas & hinc arctatas, ſolvitur laxatis fibris; quod fit humectantibus, lenientibus, diluentibus, reſolventibus, abſtergentibus, & acri contractionis cauſâ ablatâ, quod fit remediis aquoſis internis, externis, tepidè applicatis vel aſſumtis, inſulſis leviſſimis, & blandiſſimis oleoſis ſimiliter adhibitis.

52. Quod hæret ob viſciditatem & lentorem proprium, ſolvetur variis remediis, quorum primarium vis ipſius febris ita moderata, ut valeat coagulum hoc ſolvere (30. 32. 36. 37.) adeoque hic requiritur, ut ſic temperetur impetus α. ne inflammationes, ſuppurationes, gangrænas ſphaceloſve queat producere (35) cujus periculum imminere docet vehementia ſymptomatum, maximè caloris, comparata cum virtute vaſculorum. β. Neve nimio motu diſſipentur liquida: id vero denunciat ſiccitas nariam, oculorum, oris, gutturis, linguæ, raucedo, arida cutis, urina parcior, pulſus parvus, frequens, inæqualis. γ. Neque ut ante coctionem torpeat nimis; ita ut materiam morbi nequeat ſubigere, ſolvere, movere, ſecernere, excernere: id cognoſcitur ſi languent actiones vitales omnino, necdum apparente ſigno pepaſmi.

53. Si enim exorbitare deprehenditur, moderamen fit abſtinentiâ, victu tenui, potu aquæ, aëre frigidiuſculo, animi affectu leni, venæſectione, enemate refrig. medicamentis blandis aquoſis, glutinoſis, refrigerantibus, anodynis, opiatis.

54.

54. Si segnior apparet, excitabitur ope caridacorum desumtorum ex cibo potuque meracioribus, aere paululum calidiore, animi affectu magis excitato, medicamentis acrioribus, volatilibus, aromaticis, fermentatis, frictione, calore, motu musculari, balneis, fomentis.

55. Alterum post primum (52.) remedium quo viscicitas tollitur, est elateris in vasis restitutio, minuto liquido per missionem largam, citam, ex magno vulnere, sanguinis, aucto deinde, vel cito motu per stimulantia.

56. Tertio idem viscidum, fluidum redditur diluendo, potu, Balneo, Fotu, Clysmate, aquosis, tum simul fricando.

57. Agunt ea optime, si calida, aquosa salita, aromatica, amara, lactescentia, frigida sumuntur.

58. Quæ (56. 57.) ut benè citò, tutò, validè agant, missio sanguinis præmissa prodest, nam parat ingressum, miscelam, actionem.

59. Simul ac viscidum his (52. 53. 54. 55. 56. 57. 58.) solutum, iisdem continuatis, vel auctis pellitur, & expellitur: sed & sæpe jam emendatum expulsu non egebit. (37. No. 1.)

60. Symptomata ex Febre acutâ singulari orta imprimis hæc sunt: Frigus, tremor, anxietas, sitis, nausea, ructus, vomitus, debilitas, calor, æstus, siccitas, delirium, coma, pervigilium, convulsio, sudor, diarrhæa, pustulæ, inflammatoriæ, sive Exanthemata febrilia.

61. Quæ omnia (60.) orta ex Febre (24. 30.) ut suâ causâ hâc ablatâ (37. 38. 41. ad 60.) cessabunt, adeoque si ferre queunt tam diu sine peri-

periculo vitæ, singularem curationem vix requirunt.

62. Quin sæpe oriuntur ex conatu vitæ se disponentis ad crisin, vel ad materiæ criticæ excretionem, tum hanc præcedunt, comitantur, sequuntur, nec turbari debent.

63. Si vero intempestiva, nimis sæva, quam ferri a vitâ possint, aut ab ægri patientiâ, vel aliud gravius malum productura sunt, tum singula sunt lenienda suis remediis propriis, habitâ semper ratione causæ (29.) & status (33.) Morbi ipsius. Jam singula symptomata examinabo.

Frigus Febrile.

64. FRigus in Febrium acutarum initiis ponit attritum liquorum in se mutuo, & in vasa, minorem; motum circulatorium imminutum, liquidum ad extrema stagnans; cor minus contractum; minus evacuatum; spiritus cerebelli minus influentes.

65. Efficit, si diu manet validum, polyposas in vasis majoribus, circa cor concretiones; in minoribus vero, expresso suo liquido, evacuationes; hinc multa & gravia mala in utriusque.

66. Hinc patet, quid designet, quid præsagiat; Et cur quo magis initio frigus, eò periculosior Fe-

febris? In Peste incipiente frigus summum, progressâ calor maximus?

67. Id frigus omni eo quod validè stimulat, quocunque demum titulo tentatum, dedit sæpe insanabilem postea inflammationem. Hinc Salina acria, aromatica, oleosa, vesicantia & similia damnosa sunt.

68. Optimè autem curatur modo seq.

℞ Aq. hord. ℔iß.
Cristal. mineral. ℈iiij.
Aq. Epiden. ℥ij.
Syrup. poeon. C. q. s. ad gratiam M. F.

Julap. de eo bibat, sumend. Bolum seq. 6tâ quâque horâ repetend.

℞ Cristallor. mineral. ℈ß.
Tartar. vitriolat. gr. vii.
Conserv. fruct. cynost. & spir.
Vitriol. an. q. s. M. F. Bolus sumend. & superbib. haust. julap. ante præscript.

℞ Capitis ovis mactat. cum lana confract. (demptis linguâ & cerebro) coq. in aq. s. q. ad ℔vj.

F. colatura pro Fotu, Vapore, Balneo, Lotione.

℞. Ol. pulmæ ℥ij
Ol. macis per expression. spir. Lavend. C. an. ℥j.
M. F. Frictio blanda.

69. Quibus (68.) statim applicatis; sæpe maxima mala illico curantur (65.)

T Tremor

Tremor Febrilis.

70. TRemor ponit muſculorum vacillationem inter tonum & laxationem; cauſas tendentes & laxantes brevi, & involuntarie ſibi mutuò ſuccedentes, influxus arterioſos & nervoſos, nunc contingentes, nunc abſentes, adeoque initio morbi quietem utriuſque liquidi; in fine ſæpe nimiam horum abſentiam, poſt diſpendia nimis magna.

71. Efficit diu perſeverans impedimenta circulationi humorum, & vitia inde pendentia.

72. Inde diagnoſis & prognoſis ejus habetur, & liquet cur tremor cum frigore? (64.) Cur ingens tremor adeo malus? Cur in animi affectibus majoribus tremor? Cur circa mortem? Cur ab evacuatione omni nimis magna? Cur a nimio potu quocunque?

73. Curatur reſtituto æquali fluore & preſſione liquidi arterioſi in arterias, cerebelloſi in fibras motrices: id obtinet in morbi initio uſu eorum quæ lentorem ſolvunt, vires reddunt (49. ad 60.) in fine per ea, quæ liquida perdita ſubitò reſtituunt, fibras roborant & viſcera.

Hunc in finem ſic præſcripſimus.

℞ Pulv. è chel. cancror. comp. ℈j.

Rud. Serp. Virg. gr. vii.

Antimon. diaph. gr. xv.

Con-

Confect. Fracastor. ʒß.

Syr. croc. q. ſ. M. F. Bolus 6tâ quâque horâ ſumend. ſuperb. hauſt. julap. ſeq.

℞ Aq. ceraſor. n. borrag. meliſſ. an. ℥iij.

Poeon. C. cordial. Saxon. an. ℥j.

Marg. pp. ℈iv.

Sach. criſt. q. ſ. M. F. julap.

Bibat hauſt. freq. in intervallis, incepta Diaphoreſis hauſtulis Zythogalæ vel cereviſ. cui macis aliquantulum incoxeris, ſubinde repetitis continuanda eſt.

℞ Bol. armen. ver. corall. rubr. præparat. an. ℈j.

Confect. Fracaſtor. ʒj.

Aq. theriacal. ℥ij.

Ceraſor. nigror. ℥iij.

M. pro duabus doſibus, ſex horarum intervallo aſſumend.

℞ Aq. hord. ℔ij.

Syrup. de rub. Idæo ℥iß.

Papav. alb. ℥ß.

Spir. ſal. dulc. ʒij.

M. F. Julapium in intervallis duarum doſium bibend. ad libitum.

Horum uſu procedat lentè & cautè a primo ad ultimum gradum.

Anxietas Febrilis.

74. ANxietas pro causa habet sanguinis ex corde egressum impeditum; adeoque per fines pulmonales, aut Aortæ impossibilem transitum; aut spasmum vasculorum contractorum aut materiem inflammatam transire ineptam; similia orta vidimus ex impedita circulatione sanguinis per venam portatum ex iisdem causis; unde quum omnis sanguis venosus, a cœliacis & mesentericis arteriis allatus redire non possit, stagnet, vasa extendat, arterioso fluxui resistat, & omnia hinc nata & nascitura mala producat, liquet ambas has anxietatis causas in omni acuto morbo quam severissimè observandas & curandas esse.

75. Si anxietas ergo talis (74) diu persistat, circa vitalia producet polyposas, concretiones, inflammationes, gangrænas subitaneas, cum intolerabili angustia, & morte cito subsequente: Si autem hæsit in hypochondriis, tum maximum sensum ægritudinis circa stomachum pariet, reliquis visceribus minus acutè sentientibus; dein putrefactiones subitaneas sanguinis in his vasis amplis, minusque validis, unde gangrenæ, hepatis putredo, dysenteria a putrefacto lethalis.

76.

76. Inde optimè novit Medicus quod anxietas talis (74. 75.) pro sua causa & natura ponat, quidque inde præsagiendum sit; simulque distinguet ab uno affecto genere nervoso, absente febre antegressa, & inter eam quæ ab inflammatione acutâ, quæ tum per sua signa prius se prodidit; inde comparans hæc cum vehementiâ, duratione, loco hujus mali, cuncta prudenter detegere poterit. Cum in omni fere morbo circa mortis articulum ultimo tragœdiam claudit? Cur spasmodica anxietas parum, inflammatoria maxime periculosa est? Cur inquietudo, jactatio, suspiria, anhelatio, pervigilium in morbis inflammatoriis, suppuratoriisque, mortis prænuncia?

77. Hinc patet quam varia requiratur curatio ad sævitiem hujus mali leniendam, quæ tamen omnis cognoscitur & applicatur cognitâ prius indole ipsius symptomatis. Ubi ergo advertitur affectio Spasmodica causa esse: hæc tollitur, v. s. vesicatoriis, & alexiteriis opiato mixtis.

℞ Pulv. è chel. cancr. C. ℈j.
Antimon. diaph. gr. viii.
Castor. gr. v.
Croc. Britannic. gr. iij.
Cum confect. Alkerm. q. s.
M. F. Bolus sumend. 3tiâ vel 4tâ quâque horâ superbib haust. decoct. seq.

℞ Rad. eryng. scorzoner. Hispanic. an. ℥ij.
Chin. ℥ß.
Passular. minor. ℥iß.
Coq. in aq. fontan. ℔vi.
Ad. ℔iv.
Infund. Cinamom. acut. ʒiij.
Sem. foenic. ℥ß.

F. Apozema de quo liberè bibat.

Mittatur ſanguis de novo & repetatur ad animi ferè deliquium.

Applicentur plura Epiſpaſtica internis femoribus & brachiis.

Dentur Vomitoria, Purgantia, &c.

Sedenter animi affectus.

Laxentur fibræ, vaſa, viſcera.

Compeſcatur vis liquidi nervoſi, per anodyna & narcotica.

Ubi advertitur affectio inflammatoria, eadem proſunt ut ſupra ſunt præſcripta. Huc præterea maximè facit potus largus, calidus, aquæ mulſæ, farinoſæ, nitroſæ, ſubacidæ, leviter aromaticæ; clyſmata ſæpè parvâ copiâ injecta, & diu, ſi fieri queat, retenta.

7°. Si vero ullibi, hic profectò mali atrocitas citam tutamque medelam efflagitat.

Hiſcè tam ſuccinctè & tam methodicè & breviter quam mihi licuit deſcriptis ad Febras intermittentes properabo, quas quoque breviter attingere in animo habeo, relictis reliquis acutarum febrium ſymptomatibus, viz. *Sitim Febrilem*, *Nauſeam Febrilem*, *Vomitum Febrilem*, *Debilitatem Febrilem*, *Calorem Febrilem*, *Delirium Febrile*, *Coma Febrile*, *Convulſionem Febrilem*, *Sudorem Febrilem*, *Diarrhæam Febrilem*, *Exanthemata Febrilia*, *Febrem Continuam*, *Febrem Continuam-Putridam*, *Febrem Ardentem*. Mitto Lectores ad clariſſ. *Sydenhamium*, ad *Archibaldum Pitcarnium* Scotum, cæteroſque in Scholâ Medicâ viros illuſtres; ſi tempus & otia dentur, hæc alio tempore (ſi vita ſuperſit) volente Deo, tractabo.

F. bribus

Febris Ardens.

QUas inter, Causos sive Ardens dicta Febris meretur singulatim discuti ob frequentiam, discrimen, sanandi laborem.

Hujus Symptomata primaria, calor, ad tactum ferè urens, inæqualis diversis locis, ad vitalia ardentissimus (in extremis remissior, imo aliquando frigus) ipsum aërem exspiratum incendens; siccitas in cute totâ, naribus, ore, linguâ; respiratio densa, anhelosa, cita; lingua sicca, flava, nigra, exusta, aspera; Sitis inexplebilis, sæpè subito sublata; fastidia cibi, nausea, vomitus; anxietas, inquietudo, lassitudo summa; Tussicula, Delirium, Phrenitis, Pervigilium, Coma, Convulsio, diebus imparibus exacerbationes.

Causa labor nimius, æstus solis, sitis tolerata diu, usus calefacientium, fermentatorum, aromaticorum acrium, v. nimiæ, delassatio immodica, maximè æstate, &c.

Decursus talis; tertio & quarto die sæpè Lethalis, septimum raro transit si perfecta, solvitur sæpè hæmorrhogiâ, (quæ si tertio vel quarto die, Lethalis) hæc prænunciatur cervicis dolore, temporum gravitate, tenebricosâ caligine, præcordiorum contentione sine doloris sensu, invitis lachrymis sine lethali signo alio, rubore faciei, pruritu narium, optima fit die decretorio; *solvi-*

tur & die decretorio, Vomitu, alvo, ſudore, urinâ, ſputo craſſo; acceſſio die pari peſſima, ſi id ante diem ſextum; urina nigra, pauca, tenuis huic Lethalis; Lethale ſanguinis ſputum; Lethalis ſanguinis mictus, Deglutitio læſa mala, externorum refrigeratio peſſima, facies rubra & ſudans mala; parotis non ſuppurans exitialis, alvus nimis laxa Lethalis; cum tremore abit in delirium, inde in mortem, tranſit in peripneumoniam ſæpè cum delirio, poſt gravia inteſtinorum tormina quæ oritur, peſſima; ſolvitur criticè cum rigore

Quibus præmiſſis, facile hic morbus cognoſcitur: neque de ejus cauſa propiori & proxima ambigetur: eſt enim a ſanguine orbato parte blandiori, liquidiori, inflammatione per univerſum corpus, viribus validioribus quin prognoſtica non infirma hinc deducentur.

Curatio exigit aërem purum, frigidum, renovatum ſæpius; integumenta minime ſuffocantia vel aggravantia corpus: ſitum corporis erectum ſæpius, potus copioſos, blandos, demulcentes, ſubacidos, acidos, calidos.

℞ Rad. ſcorzoner. Hiſpanic. ℥ij.
Tormentill. ℥j.
C. C. ʒvi.
Coq. in aq. fontan. ℔iiſs. ad ℔iſs.
Colatur. add. Syrup. de Limon. ℥iij.
M. F. Apoz.

℞ Criſtallor. mineral. ℈ſs.
Conſerv. fruct. Cynosb. ℈ij.
Ol. Sulphuris per Campan. gutt. ij.
F. Bolus ſumend. 4tâ quâque horâ ſuperbib. hauſt. Apoz. præſcript.

Curatio porro exigit cibos leves farinaceos, hor-

hordeaceos, avenaceos ex fructibus acidis confectos; Venæsectiones si morbi initium, plethoræ indicia, inflammationis singularis signa, &c.

Clysmatum blandorum, diluentium, laxantium applicationem repetendam.

Si anxietates adsint vel signa delirii, &c. dictu incredibile est quam proficuos effectus afferunt vesicantia. Quapropter in tali casu

℞ Emplastr. Epispastic. ampl. & acr. satis. no. 1. 3. 5.

Applic. inter scapulas: internis femoribus, brachiis, &c. pro re natâ.

Ad solvendas incipientes coagulationes, stagnationesque in quocunque morbo, qualibet ætate vix ullum præstantius & ita celeriter agens observavi remedium quam vesicantia.

Hisce add. Medicamenta alvum lenissime laxantia, aquosa, blanda, nitrosa, grato acore sapida.

E. g. ℞ Aq. hord. (cui flaved. cortic. aurantior. incoxerint) ℔j.

In qua dissolv. mann. culabr. ℥ij.

Plus minus pro ratione virium & ætatis.

Cremor. Tartar. ℈iv.

Colaturæ add. Ol. sulph. vel succ. Limon. q. s. ad gratam aciditatem.

Quibus qui adjunxerit dicta in Regulis universalibus de Curâ acutarum, harumque symptomatum liquido perspecta habebit ardentis febris cujuslibet remedia.

Febr.s

Febris Intermittens.

79. EX præcedentibus igitur patet, quid sentiendum de Febrium acutarum varietate: nam quæ motum febrilem semel excitatum uno impetu ad finem perducunt, illas *Febras continuas* vocamus: quæ febres per vices impetum remittunt, & demum excitant, ut semper duret febris, illas *Continuas Remittentes* vocamus: quæ vero per vices impetum remittunt ut plena ἀπυρεξία inter duos quosque Paroxysmos intercedat, illæ vocantur *Febres Intermittentes*. Febris intermittentis diagnosis patet: distinctio in variis classibus facilis, utpote soli temporis differentiæ innixa.

81. Tamen scire debemus hanc in genere esse Vernalem, quæ a Februario in Augustum, & Autumnalem, quæ ab Augusto in Februarium dominatur.

Distinctione necessariâ ob varios mores, symptomata, exitus, durationem, curationemque Febris; quin una aliam fugat.

81. Quin & sæpe initio Autumni æmulantur exactè indolem continuarum, ob longiores & duplicatos paroysmos, dum tamen indoles & curatio diversæ sunt.

83. Incipiunt cum oscitatione, pandiculatione, lassitudine, debilitate, frigore, horrore, rigore, tremore, pallore extremorum, respiratione

ne difficillimâ, anxietate, nauſeâ, vomitu, pulſu citato, debili, parvo. Hæc prout majora, pluraque ſimul, eo febris pejor, atque in ſubſequente tempore calor, & cætera ſymptomata pejora: & hic gradus febris primus, incremento reſpondens continuarum & reliquorum maxime periculoſus. Urina tum ut plurimum eſt cruda & tenuis.

Hunc ſtatum (83.) excipit alter, incipiens cum calore, rubore, reſpiratione forti, magnâ, liberaliore, anxietate minori, pulſu majori, robuſtiorique, ſiti magna, dolore artuum & capitis magno, urinâ plerumque rubrâ reſpondet ἀκμῇ febrium continuarum.

85. Tum ultimò ingens plerumque ſudor, remiſſio omnium ſymptomatum, urina craſſa, ſedimentum lateri contuſo ſimile, ſomnus, ἀπυρεξία, laſſitudo, debilitas.

86. Febris intermittens ſua tria tempora (83. 84. 85.) percurrens, fibris minimis vaſculorum & viſcerum magnam vim infert, ſtagnando, obſtruendo, coagulando, pellendo, reſolvendo, attenuando; hinc debilitantur vaſa, morboſa fiunt fluida, eo imprimis genere mali, quo partes minus aſſimilatas nec æqualiter miſtas habent; ex quibus ſimul acrimonia oritur; unde ab omnibus ſimul facillima in ſudorem proclivitas multum debilitans, ipſo viſcido ſanguinis tranſudante; tum urina mire craſſa, turbida, jumentoſa, pinguis; ſimilis ſaliva, inde debilis, ſolutus, vix cohærens ſanguis optimâ parte ſpoliatus, reſidua acer & craſſus ſimul; adeoque ex laxis vaſis, & craſſis acribuſque fluidis hæ febres diuturnæ: dein aliquando terminantur in chronicos, ſcorbutum, hydropem, icterum, Leuco-

phleg-

phlegmatiam, tumores ſcirrhoſos abdominis, & quæ hinc ſequuntur mala.

87. Cæterum, niſi malignæ (86.) corpus ad longævitatem diſponunt, & depurant ab inveteratis malis.

88. Unde poſt accuratum examen totius Hiſtoriæ Febr. intermittentium (79. ad 88.) cauſa proxima conſtituitur viſcoſitas fluidi arterioſi, superveniente deinde causâ quàcunque velocioris & fortioris cordis contractionis, atque reſolutionis ejus quod ſtagnaverat.

89. Adeoque, quum ordo hic (83. 84. 85.) ſemper in Febre intermittente obtineat, videtur is qui primum tempus (83.) & primam cauſam (88.) ſuperare poſſit, etiam totum illum paroxiſmum poſſe tollere.

90. Deinde, quum infinitæ cauſæ, eæque ſatis exiguæ poſſint primum ſtatum (83.) Febris perfectæ intermittentis (79.) ejuſque cauſam (88.) producere, atque tales plurimæ in ipſo corpore naſci, creſcere, & dato tempore adoleſcere queant, ut in omnibus in corpore natis, atque ſecretis liquoribus fit; difficilius eſt ex infinitis impoſſibilibus natam jam diſtinguere, quam unam poſſibilem excogitare, quâ poſitâ, ratio periodorum dari ex legibus œconomiæ noſtræ poſſit, id autem examinanti pateſcit.

91. Curatio ergo exigit, ut aperientibus ſalinis, alcalicis, aromaticis, mineralibus, diluentibus, oleoſis, blandis, calore, motu, fotu, frictione utamur tempore ἀπυρεξίας vel & in ſtatu deſcripto (83.)

92. Quin abundanti colluviei in primis viis purgans vomitoriumve prodeſt tollendæ; dando ante paroxyſmum eo ſpatio, quo ante hunc affectum

ctum præstet. Id faciendum cognoscitur ex victu, morbis, symptomatibusque prægressis, nauseâ, vomitu, ructu, tumore, halitu sordibus linguæ, gutturis, palati, ἀνοζεξίας absolutâ operatione dato paregorico sedatus sit tumultus ante accessum febris.

93. Ut & prodest idem (92.) dum stimuli instar movet utrumque (92.)

94. Aliter nocet (92.) dum debilitat, liquidissima elicit, digestiones hic præcipue necessarias, turbat; sicque diuturnitatem morbi, vel & ipsam mortem producit.

Frigus & Febris sudorifero hic tollitur sæpe; dum aliquot ante tempus cognitum futuri paroxysmi horis, liquido aperiente, diluente, leviviter narcotico repletur corpus ægri, dein unâ horâ ante accessum febris excitatur sudor & continuatur, donec binis elapsæ sunt horæ ultra tempus initii paroxysmi.

95. Hinc & Venæsectio nocet per se semper, prodest, alias casu, ut & tenuis & exacta diæta.

96. Dum febris in statu (84.) indicantur aquosa, calida actu, subacidis aperientibus nitrosisque blandis aperientibus, quiete, calore moderato tunc æger eget.

97. Ubi crisi paroxysmus solvitur (85.) prodest ptisanâ vinosâ, jusculis carnium, decoctis temperatis sudori urinæque reddere materiem: sicq; hæc non vi caloris, medicamentorum calidiorum, stragulorum exprimere, sed copiâ auctâ promovere quam blandissimè & diu.

98. Porro symptomati urgenti occurratur, juxta regulas in acutis datas, *vis vitæ in justo moderamine consistit.*

99. Sublata febri victu analeptico medicamentis corroborantibus æger reficiendus, dein aucto robore purgandus aliquoties.

100. Si autem febris Autumnalis vehemens; corpus ex ægritudine debile, morbus jam aliquo tempore duravit, neque adsint internæ inflammationis, neque Collecti alicubi puris, neque obstructi admodum hujus illiusve visceris, Cortice Peruviano abigetur, pulveris, infusi, extracti, decocti, syrupi forma, cum propriis specificis tempore ἀπυρεξίας, debito ordine, dosi, regimine adhibito.

102. Ut singularis fiat Curatio singularum febr. intermittentium, notetur. 1. Intermittentes veras quo minori spatio quiescunt, eo finiri citius, & sic contra. 2. Eo itidem plus accedere ad acutarum genium, & in has mutari. 3. Causam fortè eo mobiliorem & copiosiorem habere. 4. Hinc Vernales superveniente calore sponte solvi. 5. Autumnales accedente frigore, increscere. 6. Inde liquere quibus febribus medicina facienda & qualis.

Fundamentis Medicinæ cum Appendice jam fideliter finitis & una collatis, quis est qui non admiratur Artem Medicam? Illa enim agit, ut nobilissima pars Hominis vigeat sapiatque, cujus arbitrio honesta & magna geruntur. Quis enim æque pertinax vitæ abstemiæ & sobrietatis monitor? Medicina. Quis enim excellentior iræ moderandæ, Tristitiæ fugandæ, crapulæ vitandæ; temperandæ Veneris Author, quam Medicina? Accedit quod quicquid in homine eximium est, Artes, Scientiæ, Disciplinæ, quicquid

quid in eo Virtutis, aut Eruditionis, id omne Nobili huic Facultati deberi, quis non videt?

Fundamentorum noſtrorum Medicinæ bonum feciſti uſum, & gratulor tibi de ſucceſſu felici.



FINIS.